





THESAURUS GRÆCARUM ANTIQUITATUM.

THESAURUS
GRÆCARUM
ANTIQUITATUM,

IN QUO CONTINENTUR

EFFIGIES VIRORUM AC FOEMINARUM ILLUSTRIUM,
Quibus in Græcis aut Latinis monumentis aliqua memoriæ pars datur, & in quocunque Orbis Terrarum ſpatio ob hiſtoriam, vel res geſtas, vel inventa, vel locis nomina data, ac doctrinam meruerunt cognoſci;

ITEM VARIARUM REGIONUM MIRANDA,
Quæ celebrata apud antiquos ſaxiſque & ære expreſſa occurrunt, omnia ex veris ſinceriſque documentis petita, & pro ſerie temporum diſpoſita;

ADJECTA BREVI DESCRIPTIONE SINGULORUM,
Quæ aut in eorum vita aut in horum proprietate ſpectabilia percipi & intelligi refert; ubi variis occaſionibus nummi, lapides, inſcriptiones, etiam auctorum loca explicantur & emendantur.

VOLUMEN PRIMUM

Memorabilia temporis mythici, quod Trojano bello terminatur, complectens

AUCTORE

JACOBO GRONOVIO.

EDITIO ALTERA.



P. Monaco Fecit.

VENETIIS,
Typis BARTHOLOMÆI JAVARINA.

M. DCC. XXXII.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO EXCELLENTISS. SENATUS.

PRÆFATIO.



N præfatione inſtruenda his primorum Græciæ ſæculorum & in fabulas incidentium reliquiis unde potius quam ex ipſis auſpicabor initium ? Certe enim per eas ipſas veluti in illa media revolutus , jam aliquanto tempore non in uſu tantum gratiſſimo iſtam antiquitatis partem habui , ſed prorſus cordi applicitam geſtavi , hanc cogitans , inquirens , evolvens & loquens . Itaque ſi verum eſt , quod ipſæ hujus temporis memoriæ loquuntur ; ſic deprehendimus comparatum fuiſſe , ut primæ inventiones rerum ad humanam vitam utilium non ab parvis modo principiis exſtiterint , quod quidem ſemper obtinuit ; ſed etiam fortuito & temere potius , quam ex deſtinato & meditando contigerit. Non ad ſerram veniſſet Perdix , niſi ſpina piſcis eum advertiſſet . Non literarum quarundam prodiiſſet notitia , niſi gruum volatus præformaviſſet. Etiam putatio vitium traditur carpentes capros imitari. Ut Tyria purpura ſplenderet, repentinus canis adeſſe debuit, qui conchæ morſu fractæ rubedinem ori ſuo allinens prætereuntem magnum virum ad obſervandum acueret . Ita caſus ubique fuit , quo per idem horæ momentum coiit & naturæ opportunum opificium , dexteritaſque ingenua & contemplatio hominis, otioſa quidem, ſed per conſpectus repentini occurſum retenta, & illecta, & in mentem immittens neſcio quam, acerrimam certe, cupiditatem ejuſdem per artificia exprimendæ.

Eandem procreandi ſortem ſi dixero datam fuiſſe huic laboris generi, veriſſimum aperuero. Non id propoſitum mihi; non animo præcepta hæc opera unquam, non comprehenſa, non indicta; non ordo circuitionis deſcriptus, non modus diſſipatorum & ſparſorum paſſim quaſi virgultorum in faſcem connectendi aut mihi conſtitutus aut ab aliis traditus & inde ſpectatus. Fulvii Urſini laudabile exemplum me ad æmulationem quandam accenderat, ut dum percenſeo paulatim alienorum ſtudiorum ingenia, vultibus hominum veterum producendis impenſa, id non ſine annotatione quadam facerem. Non quo metopoſcopus ſedere vellem, aut vera omnino vivarum frontium lineamenta ſic a me adſpici judicarem in ſingulis . Non ita placuit unquam aut potui μεγαλοφρονεῖν. Satis eſſe cenſui , ſi prout media ætas aliquando eas efformaverit , hactenus vetuſtatem cognoſcerem, & ornando pro temporibus vultu vel naturæ in illis regionibus ad ſolitam diſſimilitudinem operari creditæ ſpectator duntaxat genio meo alludentia reſervarem . Illam ipſam excellentis in utriuſque ſtudio viri induſtriam per tenuium prorſus incrementorum gradus, de quibus alio loco fari debebo, promotam paulatim fuiſſe didiceram. Verum expolivit acriter atque etiam augere conata fuit noſtra ætas, ita ut certe omnes præcedentium in hoc genere molitiones exſuperaverit , non Muſeum modo inſtruente Michaele Angelo Cauſeo , ſed etiam Joanne Angelo Caninio iconographiam colligere gaviſo, Urſini quoque incepta particulatim illuſtrare annixo Jo. Petro Belorio, triplici velut tribu inſtituta , in qua ſpirarent ſingulatim Rhetores , Poetæ, Philoſophi . His ego frontibus , quæ maximarum mentium ſe fuiſſe habitacula tantum non loquebantur, quum pro venuſtate, quam edebant, vehementer indulgerem; tum mox id parum ſufficere intellexi, quum rerum ac hiſtoriarum monumenta viva adeſſent nulla, unde tamen & viſus perinde ſuam oblectationem & ſtudia ipſa trahere poterant opportunitatem alicujus ſi non utilitatis, certe delectationis. Hinc diffiteri nolo, magnas me ſemper grates laudeſque egiſſe illis, qui memorabilem rei complexum antiquitati humaniori notum & celebrem , ac forſan quoque verbis aliquoties enarratum ac deſcriptum ex ipſius tamen ejus antiquitatis cælatura oculis meis concederent. Venerabundus omnino hanc fauſtam & venuſtam liberalitatem in quocunque agnovi. Ita enim plerumque evenit, ut quum verboſæ illæ enarrationes contineant quidem ac tangant univerſa & ſingula ; tum quo pacto iſta connexa fuerint , plane non exprimant nec aperiant . Laudavi Gorlæum, quum num.110. amuletum ex ſerpentibus, gallo gallinaceo , leone & equo conſertum ſubjiceret conſpectui; quum num.186. alterum ex ſenili capite, cauda galli & pedibus, equino capite & collo, etiam ramo conſutum . Laudavi Leonardum Auguſtinum , quum num. 203. & 204. vulgavit bono certe publico duas mirabiliter congeſtas variarum in animalibus partium mixturas etiam ad amuleti uſum adhibitas . Non minus amavi auctorem Muſei Romani proferentis numero XLIV. ſimile ſpectaculum iſtius reconditæ ineptiæ, in quo primas partes tenet Harpyia. Ita enim patet perinde multiplicem fictionem iſtorum faſcinorum & diſcrepantiam fuiſſe (ita certe credo) quam puerilium terriculamentorum, de quibus teſtatur quidem Dio Chryſoſtomus ita comparatum fuiſſe , ut τ͂ παιδαρίων ἕκαςον ἰδιότροπόν τινα μορμὼ timere fuerit adſuetum. Hæc olim concinnata quibuſcunque etiam verborum coloribus explanentur , nullus concipere iſtius συμβιβάσεως aptitudinem perinde poterit, ac levis conjectus oculi . Quis Abraxan componeret niſi ex viſu? Ecquid intelligi poſſent illa Sponiana in Gallicis Obſervationibus pag.274. *Il ſemble , que le Sculpteur ayt pris plaiſir de faire dans ces monſtres , un compoſé des principales eſpeces d'animaux, un viſage d'homme avec un corps de chien & une queue de ſerpent, & de plus, des cornes, des ailes ou des nageoires de poiſſon*. Hæc, inquam, ecquis exſtruere in faciem, non dico, quamcunque aliam ad antiquitatis intellectum, ſed illam ipſam, quæ fuit, poſſet, niſi urnam cum illis larvatis juncturis haberet ante oculos? Adeo quum liquide proprieque exſignet ſingula Sponius, nihil imperfectius tamen eſt illa deſcriptione. Quid enim attinet repetere apparatum & ornamenta antri vel ſacri Mithriaci , in cujus illa parte ante annos ſententiam & cupiditatem tanto juſtius aperui, quod ne poſtea quidem in eodem volumine cavere voluiſſe viderim eundem inſignem virum, quin ſcriberet pag.74. *On trouve encore a Rome pluſieurs marbres , qui repreſentent ce Dieu aſſis ſur un Taureau qu' il retient par les cornes*. Itane? Et quæ tandem mo-

numenta Mithram talem exhibent, quum omnia quæ prodierunt huc uſque, aut inſiſtentem prorſus utroque pede, aut quum alter ſit fixus in terra more ſtantis, altero velut engonaſin terga illius permentem? Omnino quemadmodum mihi fuit, ſic ſpero erit aliis quædam voluptas cognoſcere, qua ratione extraneis Apolloniatæ admirabiles ſui Nymphæi blanditas ab inimitabili naturæ manu luſuque conſtitutas ſpectandas plane oculis præbuerint. Ita vere huc applicare fas eſt, quod facundiſſimus vir aliquando dixit in pictoribus & fictoribus non eſſe ſatis, ſi dicat magiſter, his vel illis coloribus opus eſſe; etiam in pædotribis nihil agi, ſi quis eorum dictet pueris luctarum varios modos; ſed oſtendi facientes debere, ut in præſenti exemplo ſua componant: ea harum quoque reliquiarum ratio eſt, ut ad bene cognoſcendum exhiberi ipſas unice oporteat. Magnum igitur pretium ſtatui his quoque formarum & rerum ab priſcis concinnatarum fictarumque conſpectibus, & ad ſcripta intelligenda vel maxime pertinere judicans nonnullos ſic quoque collegeram.

Hujus igitur utriuſque generis quum ſpecimina quædam jacerent alicubi, forte temere incidens in ea oculus l ibrarii, quo jamdiu amico utor, ſciſcitatur ex me, & quidem penitius quam poteram opinari, aut vix ipſe credideram me pandere ei poſſe. Quod tamen dum conor, mens ipſa ſe exſtimulavit, ut aliud ex alio proferens & ſatis acute mota non acquieſceret vel ratione congerendi Urſiniana per ſeriem literarum in alphabeto inventam, non evocatis per tres claſſes Bellorianis ac ſimiliter ordinatis. Quicunque ille modus digerendi ipſis placuerit, ordo iſte mihi videtur ἀταξία quædam, excogitata nequaquam operoſe, nec ulli etiam bono ſerviens, nec Urſinus ipſe hoc pede inceperat. Aliquid melius & momenti grandioris hic adeſſe poſſe conjectans & vagans in excogitando, quod optimum in hoc negotio ſequi deceret, judicavi temporum notationem ac differentiam in his & vultuum diverſitatibus & rerum hiſtoriarumque exhibitionibus vel præcipue neceſſariam videri. Hinc progreſſus exiſtimavi denique confieri poſſe, ut non inſtar Licinii Macri ex æde Junonis Monetæ libros linteos, ſolique ipſi viſos, magnam profecto annalium Romæ & inamœnam & vix tolerabilem diſcordiam, proferrem, ſed ex ipſius vetuſtatis templo ac fideliſſimis faviſſis hac ratione a me conglutinaretur corpus hiſtoriæ non per literas & elementa legendi ac verborum copiam, ſed viſu cognoſcendæ, nec illud tamen grato tantum ſpectaculo linearum conſtans, cætera incommodum & infructuoſum; ſed ſi non neceſſarium vel maxime, at ſanequam conferens ad certam claramque rerum priſcarum notitiam. Ut ne quid diſſimulem, adeo iſta res mihi placuit, ut non in dubitationem, ſed liquidam ſententiam adductus, exinde partem temporis mei ad hanc curam accommodans, non omiſerim vel quotidie videre, ſi quid ad ampliorem ejus propoſiti dignitatem & emolumentum poſſet conducere; præſertim quum velut proluſionem & προκατασκευὴν quandam huic tempori & volumini viderentur ſuppeditare hic illic ſtratæ notulæ, quas in plurimis contemplandis alio quodam modo, quam evenerat aliis, per liturarios poſueram.

Hæc prima hujus ſollicitudinis, an facilitatis? exordia. Sic illa tam diſtantibus & locis poſita & temporibus prolata tandem in hanc unitatem, ut ita dicam, concreverunt. Quæ dum promoveo & confirmo, ita rem natam eſſe animadverto, ut egregia pars congerendorum veniret ex ætate bellum Trojanum ſuperante & fabuloſis, quibus ego ſane capior, ut ſæpe violentas hujus temporis veritates illis poſthabeam, inferenda; etſi longe amplior ſeges ex annis poſterioribus. Nec mirum; quum etiam ſequuta expeditionem iſtam ſæcula numero ſuo plurimum excedant vincantque continentiam præcedentium ætatum: ne dicam, harum & ipſarum exiguam modo portionem ad Græcorum ſcientiam perveniſſe. Unde judicavi ſtatim agi omnino & poni limitem inſignem, quo pars prima juſtiſſime terminari poſſet & ab inſequentibus ſeparari, quam ita hic vides.

Nactus enim artifices manus, quæ peritiam ſuam ad hoc abſolvendum mihi commodare poſſent, ac me audire & reſpicere vellent, exempla duci in charta & ære curavi, forma plane conſpectiſſima & æquali. Sed quum animadverterem exſtare nummos idem fere exprimentes, ſed tamen ſere, atque adeo diverſitatem quandam adferentes; ut pro virili integram hanc partem univerſam poſſideremus, intermiſcui breviore ductu, quidquid ab majore diſcedens quodammodo reperire poteram, & non incongruo loco, ſed ubi plerumque de eo agitur, adjeci; ut ita quiſquis per illa ſollicitari poterit, minime conturbetur habens omnia in promptu. Tali ritu his ſacris operatus & venerabiles clypeos ſuſpendens, quum omnia hodie plena Theſauris eſſe intelligerem, eodem titulo viſibilem hanc Græciæ veterrimæ hiſtoriam inſignire cenſui, quo repoſitum eſſet, quidquid auri argentique priſci vel æris alteriuſve ornamenti ad hanc cauſam pertinens reſtaret. Qui utinam uno digeſtu & expoſitu contentus, ita prodire potuiſſet, ſolo pulchritudinis & leporis ingenio affatim loquente & laudante ſolertiam vel veterem in comminiſcendo vel hodiernam in cælando? Sed ipſo etiam conſuetudinis jure flagitabatur adventicius quidam ex ſcripta explanatione fructus. Et erant nonnulla, quæ ſolo me auctore huc collata cauſam hujus conſilii declarari exigebant. Id quod ita ſuſcepi, quo vel maximam haberem rationem decoris, & animadverſa ſpatii amplitudine nec omnia dicerem, quæ poſſunt dici, nec ea tantum proferrem quæ ab aliis (etenim ſcripſere alii rem) ſæpe ſunt prolata. Sed ante omnia, ut implerem ipſam cælaturæ, ut ſic dicam, exſpectationem; & pro antiquiſſimo haberem ſtylum conferre in illam partem, quo vetus artifex potiſſimum ad fabulæ aut acuminis obſervationem apertiorem intulerat mentem & memoriam, aut poeta quilibet ſuo tempore quamcunque figuram contemplans in poeſeos & ingenii ſui indolem immiſerat. Probe novi plura potuiſſe dici: memini quid de Diomede ſuſpicetur alius: ſcio quid de Ajace Locrenſi diſſeratur modo dubitanter, modo ex neſcio qua comparatione, ſatis ἀπὸ μέλυς; immo quid de priore cummaxime ſub oculis habeam plenum conjecturæ nequaquam probabilis. Sed non ingrediar hanc cauſam. Potius eſt, ut cum reverentia imaginis eorum, qui ad hoc corpus contulere vel articulum aliquem, & feſto memoriæ priſcæ cultu aulæa tollantur ac ipſa ſpectacula prodeant.

ORDO IMAGINUM
HUJUS VOLUMINIS.

ORDO IMAGINUM HUJUS VOLUMINIS.

F I N I S.



PRO-



PROMETHEVS
hominem fingens et punitus in Caucasò

PROMETHEUS.



ITA hic conſpectus vetuſtatis, quam a maximo quondam hominum numero creditam, variiſque modis memoriæ traditam colligere fert animus, digeri debebat, ut primus locus daretur huic marmori, quo proxime ad divina adſcendit cælator ejus, incipientem humani corporis exortum, cujus vera notitia intra ſolam Judæam tunc latebat, oculis cernendum exhibens. Eſt hic igitur Prometheus, qui propter excellentiam ingenii miram homines finxiſſe exiſtimatur. Sic enim placet in hac re uti verbis Higini ex Poetico Aſtronomico, ut inde pateat eundem in fabula CXLII. ſcripſiſſe *Prometheus Japeti filius primos homines ex luto finxit*, non *primus*, ut vulgo editur, non *hominem*, ut litigant editores, & notant aliena. Quum antea felicitas Titanum diu ſub Saturno nitens in terris ab gigantum pravo fervore eſſet turbata, ſed non impune; nunc ſedet ipſe etiam Titanis citati filius, Urani ipſius nepos, ut ſenex longævus, contemplans & ſuſtinens & admirans forſan quoque pulcherrimum opus ſuum & ſibi ſimile, niſi quod juventa venuſtius; ſed & retrahens jam cum ſcalpro alteram manum, quaſi ultimam prorſus accepiſſet, ad exemplar alterius adſtantis. Itaque ad conſummanda omnia Pallas in peplo fluidiſſimæ laxitatis, ut fuit vere Athenis, in adjutorium accedit partem alteram hominis impoſitura, animam ſcilicet, cujus papilio apud antiquos eſt ænigma, unde paſſim plumas quoque vel pennas illi attribuunt. Unde licet manu imponat, tamen inſpirare id dicebant in Dea Græci, ſicut hæc ipſa dicitur ab Apollonio Rhodio navi Argo inſpiraviſſe divinum robur [a]. Nec tantum; ſed etiam ſic aſpicit illud corpus, quaſi alloqueretur; & ſermonem ejus, fere ut audiatur intelligaturque, exprimunt in altera manu digiti, quos duos notabiliter & diſtincte exſerit. Quid enim aliud hæc divina ſapientia, quam fata iſti novello plaſmati dictat; quorum ut conſtaret notitia nihilque intercideret, ea excipiuntur ab libraria cæleſtium etiam huc advocata, non in tabulis, ut finxit Latinus Pacatus, ſed in globo, ut thematis & natalicii ſideris conſtitutioni ea inhærere innuatur. Licet enim in hoc Palladis dono conſiderare idem, quod in chlamyde Jaſonis itidem data illi ab hoc ipſo numine conſiderat idem iſte poeta, quem exponens Scholiaſtes ſcribit [b]: *Chlamydem ait eſſe donum Minervæ, quia & mundus ab divina ſapientia productus fuit, & eorum, quæ in eo ab hominibus peraguntur, nihil recte ſine ſapientia conficitur*. Quin etiam adeſt Clotho ex glomo & colu incipiens fatalia fila trahere. Sed ne-


A que

a. Ἥ οἱ ἐνέπνευσε θεῖον μένος.

b Δῶρον φησιν εἶναι τὴν χλαμύδα τῆς Ἀθηνᾶς, ἐπειδὴ ὅτε κόσμος ὑπὸ τῆς θείας φρονήσεως γέγονε, τῶν δὲ ἐν αὐτῷ ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων πραττομένων οὐδὲν ἄνευ φρονήσεως ὀρθῶς γένοιτ' ἄν.

que glorietur in hac parte Ægyptus per Nilum ſuum perfæcunda etiam hominum generatrix, etſi in ejus parte regnaſſe dicatur ab Diodoro Siculo Prometheus, unde viri etiam doctiſſimi in eo effigiem Noachi conſpexerunt; taceat quoque Scythia ſibi olim primordia humani generis arrogans, quæ pœnalis demum Prometheo contigit; quod ipſe rupi velut columnæ aut robori alligatus & in tormentis, dum viva perpetim viſcera tondentur ab aquila, exululans & introrſum refractus, ut latus incurvetur, etiam femur contra volucrem erigens; alterius vero pedis rectum ad ima tractum porrigens, nervos intendens & tumefaciens collectos in ipſis pedis digitis, ut declarat Achilles Tatius lib. II. [a], fatetur, ideoque huc congeſtus eſt. Japetides hic in alia regione fuit, quum hominem formavit, in illa nempe ubi erant iſto tempore munera mitia agrorum & oliveta, ut indicat prope arbor inſtituta; illa, ubi jam tunc colebatur Pallas. Apollonius Rhod. III. 1084. ſcribit in Æmonia eum genuiſſe Deucalionem. Alii Aſſyriis tradidiſſe aſtrologiam: de loco procreati hominis tacent. Hoc equidem marmor Athenis palmam iſtam vindicat; quippe quas ei ſacratas, & ubi iſtos fructus primum ortos tradunt, atque ita iſto ſolo, ubi innatos ſe gloriabantur, qui incolebant. Et forſan illic quoque id ipſum marmor factum, aut ab cive Athenienſi. Sed tu verum, ut vocat Tertullianus, Prometheum agnoſce & venerare, qui & corpus tuum erexit & mentem formavit, ut non cum papilione errare per terræ & paludum nebulas, ſed inſtar aquilæ penetrare viſu nubes ipſas, ac Babylonios & eos, quos e Caucaſo cæli ſigna ſervaviſſe numeris & motibus ſtellarum curſus perſequutos fatetur Cicero, imitari poſſis. *Exceptum e marmore Principis Camilli Pamphilii.*

a. Συνεσταλμένος καὶ τὴν πλευρὰν συνεσπασμένος, καὶ τὸν μηρὸν ἐγείρων κατὰ τοῦ ὄρνιθος, ὁ δὲ ἕτερος τοῖν ποδοῖν τὸν σπασμὸν ὄρθιον ἀντιτείνει κάτω, καὶ εἰς τοὺς δακτύλους ἀποξύνεται.



LACHESIS et ATROPOS
Parcarum duae.

LACHESIS & ATROPOS.



QUUM primi hominis natali se præsentem stitisset Clotho, consortes ejus duas statim sequi debuisse patet, depromptas *ex Museo Garimberti*, non sane tam miti opificio deditas, sed fatalem perniciem sine ulla dilatione, ubi hora venerit, repræsentantes. Ideo hinnulum medium aversæ dissecant. Ita volunt illi, qui ediderunt, humanæ vitæ principium & finem depingi, per anteriorem scilicet ac posteriorem partem. Sed & alia hic teguntur. Possis aversas cogitare, ne qua eas misericordiæ contemplatio ab funesta plaga, sed suo die illata, ac idcirco necessaria & inevitabili revocaret; aut ex ritu cremandi cadaveris in rogo, ad quem accedendum *Aversi tenuere faces*. Vel etiam quasi hic opifex Parcas tanquam minime parcentes aspectasset. Verum nec illas, nec vel Nonam aut Decimam aut Mortam nomina Romana cogitamus. Græci operis monumentum videtur, quod inspicimus. Itaque quum diviserint hinnulum, patet hunc electum, quo indicetur vel celerrime currentem ab illis deprehendi ac pedibus trahi arripique, pulcherrimo vitæ nostræ ac temporis ænigmate; & diviserint eum æquissimis portionibus, videatur pariter innui justitia earum, qua res singulas æqua lege dispensant, ut Græci dixisse [a] creduntur ab modo partiendi vel dividendi. Hæ jamdiu & in primo mundo notæ; ut ne quidem gigantes Agrius & Thoon, licet ænea clava quisque succinctus esset, contra eas valere potuerint, ut jocosæ fabulæ rident apud Apollodorum lib.1. Hæ nunquam decedentes jure suo, parum intellectæ fuerunt Typhoni, robur ex certis fructibus comesis restitutum iri credenti, quum de naturali conditione non esset anxius, ut narrat idem. Hæ nominatim apparuerunt nascenti Meleagro apud Higinum fab.171. unaquæque officium suum exsequens. Aliam Lachesin supponunt vulgo in marmore Romano, quod Proserpinæ raptum continet; sed ea potius ipsa Proserpina est flammeo velata adsidensque jam Plutonis dextræ. Quin etiam ille magnus horum studiorum cultor ac promotor ultra alios clarissimus Jac. Sponius aliam fæminam urnæ superimpositam publicavit, quam quum invideret Latino sermone scriptis Miscellaneis, inseruit Gallicis scrutationibus, appellavitque *la Destinee*. Sed tamen ego nullus ambigo, quin sit illius ipsius corporis effigies, cujus cremati reliquias continuit ista urna, cujus imaginem manu quoque retinet, pedem orbi impositum habens, quia eum spernit & postquam morte effugit ejus intemperies, conculcat. Hujus enim notionis quoque indicium ista forma continetur, quando per mortem

a. Μόιρας.

Sub pedibus timor est, securaque summa malorum.

Etiam apud Ovidium lib.1. fastorum 702.

Religata catenis Jampridem nostro sub pede bella jacent; ideoque tres vultus illam imaginem subtus adspiciunt, tanquam dolerent ac complorantes flerent. Hæ veræ Parcæ sunt perinde vestitæ, ut FATA VICTRICIA totidem numero, quæ quum ex nummo Diocletiani produxerit Laur. Pignorius ad imagines Deorum Cartarii pag.495. & citentur ab Sponio, nuper quoque sic prodire jussa sunt, ut omnino debeant ignorari, quasi in obscuritate eorum sibi placerent. Marmorum horum auctores ita eas spectavisse videntur, ut Clotho quidem nequaquam sit illa, quæ filum incidit, ut Julius Scaliger concepit citavitque Vossius, sed in principio vitæ fatale filum trahat, perque omne ejus spatium procedat. Lachesis optima ætate sortem vitæ attribuat, quam baculo propterea fulcit, quum Atropos tectis si non pallio, at operimento ingrato capillis gladio cuncta dissecet, & quum fila non habeat, nervos elidat & exsolvat, fere illuc respiciente Theocrito idyll.7. [b]

b. Τὸν ἄτροπον ὕπνον ἰαύων Ενδυμίων.



NOVEM MVSAE
ſuis ornamentis diſtinctae.

MUSÆ.



HÆC ut innoteſcerent poſteris, perinde ut ſequentium ſæculorum monumenta, quæ alioquin ſitu & ſilentio fuiſſent obumbrata & abolita, Virgines procuraviſſe creduntur, quas priſci Græci appellitarunt *Muſas* [a], Jovis cujuſdam & Mnemoſynes filias, numero novem, magnam inquirendi & cogitandi materiam vel in vocabulo vel in commenti origine. Quin etiam Idus Juniæ antiquitus colebantur, tanquam harum novemgeminarum natalis, dies, ut teſtatur Calendarium ab Lambecio editum. Etiam conlactium habuiſſe traduntur Crotona Panis & Euphemes filium, quem poſtea ſcribit Higinus fab. CCXXIV fuiſſe ſagittarium inter aſtra. Arcanum in numero ſic aperit Cenſorinus cap. XV. *Plerique aliter moti duos iſtos numeros ſubtiliter diſcreverunt, ut dicente ſeptenarium ad corpus, novenarium ad animum pertinere, hunc medicinæ corporis & Apollini attributum, illum Muſis; quia morbos animi, quos appellant pathe, muſica lenire ac ſanare conſueverit.* Hinc igitur illud novemſonorum carmen Muſarum [b], ex Euripide notatum ab Stobæo in ſermone 237. Utique hæ ſunt, quæ non minus quam Sirenes apud Homerum & Tullium multa ſe ſcire profitentes effecerunt, ut diſcendi cupiditate eis adhæreſcentes varii & præſtantiſſimi quique ex mortalibus exornarent omne hoc, quidquid eſt, liberaliore mentium cultu; illas dixerunt eſſe, quæ

Διὶ πατρί
Υμνεῦσαι τέρπυσι μέγαν νόον ἐντὸς Ολύμπυ
Ειρεῦσαι τάτ' ἐόντα, τάτ' ἐσσόμενα, πρότ' ἐόντα
Φωνῇ ὁμηρεῦσαι

Jovi patris
Cantantes recreant magnam mentem intus Olympo
Quæ ſunt, quæque aderunt, quæque olim facta loquentes
Voce pari.

Propterea hæ cæli terrarumque deliciæ hunc locum in hoc ſtemmate meritæ. Dubia apud eruditos æque ut vocis, quod dixi, ſic perſonarum & officii cujuſque deſignatio. Has tamen diſcreviſſe Græcos variis diſtinctiſque artificiis, & cuique Muſæ peculiarem Muſicam attributam oſtendit jam Plato in Phædro, cujus locum ut floridum excerpſit idem Joan. Stobæus ſerm. 117 [c]. Sed & poſteriores diſtinxerunt multis ſcriptiunculis, ex quibus illa eſt, quam in bibliotheca Oxonienſi ex volumine ſcripto manu Græci cujuſdam [d] deſcripſi,

Τὰ ὀνόματα τῶν ἐννέα Μυσῶν, καὶ ποίης τέχνης ἑκάστη ἐπιστατεῖ, καὶ τίς ὁ ταύτης ἐν βίῳ ἐφευρετής. Κλειὼ, ἱστορίας, Ηρόδοτος. Θάλεια, κωμῳδίας, Μένανδρος. Μελπομένη, τραγῳδίας, Ευριπίδης. Ευτέρπη, αὐλῶν, Στησίχορος. Τερψιχόρη, λύρας, Πίνδαρος. Ερατὼ, κυμβάλων, Ερμῆς. Καλλιόπη, ποιήσεως, Ομηρος. Ουρανία, ἀστρονομίας, Αρατος. Πολυμνία, γεωμετρίας, Ευκλείδης.

Nomina novem Muſarum, & cui arti unaquæque præſidet, & quis ejus in vita inventor. Clio, hiſtoriæ, Herodotus. Thalia, comediæ, Menander. Melpomene, tragædiæ, Euripides. Euterpe, tibiarum, Steſichorus. Terpſichore, lyræ, Pindarus. Erato, cymbalorum, Mercurius. Calliope, poetices, Homerus. Urania, aſtronomiæ, Aratus. Polymnia, geometriæ, Euclides.

a. Μύσας.
b. Μυσῶν ἐννεάφθογγον μέλος.
c. Περὶ φιλοπονίας.
d. Νικολάυ Μαλάξυ πρωτοπαπῶ Ναυπλοίυ.

Ab hac deſignatione diſſentiunt quidem alii, ut patet ex Anthologiæ lib. I. cap. LXVII. & Scholiaſte inprimis Apollonii Rhodii ad principium libri III. Sed id exortum magis ab temeritate quorundam, quam concinnatum juſte, non debuit ſervire imitationi. Videntur enim id facere inducti ab poetis, a quibus quum hanc vel illam advocari cernerent, inde utique penſa earum deſcribenda judicarunt. At poetæ id faciebant, non quo particulari nota ſepararent ab aliis, ſed unius ſæpe cujuſdam nomen pro quacunque ponentes, ut in multis rebus. Certe cum his noſtris convenit Auſonio Idyll. xx. Etiam ſeparatim hic illic per eadem artium genera diſtinctæ occurrunt. Ad has igitur exhibendas oculis quum intellexiſſem exſtare in carcere Conſtantinopolitano ſeptem turrium in turre, quæ olim auream portam oſtendit, marmor continens eas cum Pegaſo cælatas; item aliud Romæ ſepulchro impoſitum in villa Matthæi, denique tertium apotheoſin eximiam Homeri præferens; & prioris copiam non haberem; tertium vero eſſet in his terris excuſum; elegi *Matthæanum ex editione Cl. Sponii* [a], tanto verius, quia vir ille doctiſſimus non ſatis bene videtur eas adſpexiſſe. Ipſius præclari monumenti forma hæc eſt; cui ſeptem ſtatuas vultuſve adnexui, quibus Muſas aliquas depingi credunt viri harum rerum periti, qui viderunt.




Ut enim conſtet, quod dixi; bene conjecit Tragœdiæ & Comœdiæ inventrices innui eas, quæ larvas tenerent. Sed non debuit pro ſimplicibus larvis habere, quum ſint vultus eorum, qui maxime apud Græcos in utraque excelluerunt. Hi ſunt Euripides ac Menander, quos palam patet ab duabus illis teneri, quoſque infra contemplabimur. Hinc etiam media ex quinque eſt palam Euter-

pe

a. *Miſcellane.s pag.* 44.

pe tibias duas tenens. In inferiori ordine prima non videtur eſſe Calliope; quippe quum non ſint volumina, quæ tenet, utpote in imo anguſtiora, & coeuntia, quod non eſt voluminis, ſed plane ſunt crotala, quæ ipſe Sponius pag. 22. interpretatus eſt fiſſas arundines & ſimiles figuras ibi dedit. Crotala autem & cymbala, ſunt Eratus. Quæ ſequitur erectis duobus digitis, patet quoque eſſe Polyhymniam, ſive in eo ſpectemus naturam aut partem rhetorices, ſive inventionem geometriæ: nam & computatio digitis exercebatur, & loquaciſſimas manus, linguoſos digitos, ſilentium clamoſum, expoſitionem tacitam pro inventis muſæ Polyhymniæ habet Caſſiodorus in Variis, citatus ab eruditiſſimo Mercero ad Ariſtænetum, ubi etiam citat Auſonianum, *ſignat cuncta manu, loquitur Polyhymnia geſtu*. Brachio innitens eſt ſine dubio Calliope, quaſi memoriam rerum geſtarum recenſens, & *inconcuſſam ſermonis firmitatem ſine reprehenſione, verecundiæ ſuavi convenientem, præbens* [a], ut loquitur Jamblichus in epiſtola ad Dexippum columnam iſtam velut declarans: prout incumbit etiam in marmore Columnenſi tenens quoque volumen, quod hic non adeſt. Et hæc quidem Herculem reſpicit vel maxime per ipſam celebrandum: at in Columnenſi aſpicit eadem antrum, in quo cithara Homeri conſecrata, & alloquens eos, qui intus ſtant, ut Propertius lib. 3 eleg. 3 ſibi accidiſſe prodit. Ita reſtat Urania globum cæleſtem verſans, ut etiam in Homerica Apotheoſi.

a. Τὴν ἄπταιστον ἀσφαλίαν τοῦ λόγου ἀνέλεγκτον αἰδοῖ μειλιχίῃ διαπρέπουσαν παρέχουσα.


COL. DAMA METRO
DAMASCVS
Damam fugens et hinc conditor
nobilissimæ urbis cognominis .

DAMAS.




OST has igitur contexenda ſeries rerum tempore mythico geſtarum, non patitur nos diſcedere in continentem noſtram, quum ex Aſia ſuppeditentur ulteriora, ubi ex ſcriptis ſacris perinde ac profanis Damaſcum urbem vetuſtiſſimam, imo primam fere & diluvio proximam, Semi nepotis opus, nominari & prædicari intelligimus. Hujus urbis cives poſtrema ætate perpetuo Græcorum & Macedonum conſortio & commercio involuti, & fere converſi in Græcos, non minus quam reliquæ vel in ipſa Græcia vel in Aſia civitates ex fabuloſis portentis voluerunt originem ſuam arceſſere. Itaque fas ſit in referenda nobiliſſimæ quondam & diu in Syria urbis origine poſt tres alias non minus fabuloſas hanc quartam quoque ejuſdem plane generis relationem exſtare. Notaverat Stephanus Byzantius Aſcum ferri gigantem, a quo lictore dicam an victore? Bacchus & vinctus & in profluentem conjectus fuerit, ab Mercurio excoriatum, dediſſe & urbi nomen & utris uſum ad vina: ab aliis Damaſcum Mercurii ex Arcadia filium condidiſſe & appellaſſe urbem: ab aliis Damaſcum, qui æqualis Baccho per Syriam vites inſtituenti, eas exciderit, ab Baccho captum & degluptum. Hoc referunt omnes, qui poſtea urbem iſtam tetigerunt. Hoc commentaria in Curtium III. 12. ab variis edita, hoc omnia lexica. Unde patet eruditos antiquitus plane non conſenſiſſe in veram certamque alicujus notitiæ fidem. Detur igitur inter illa locus & huic conſpectui, unde conſtat non minus diſſenſiſſe ipſos incolas, quorum ſententiæ per nummos illic cuſos declarantur, ſane ab illis tribus diverſæ. Nam & in aliis occurrit ſatyrus cum utre & cupreſſu; quaſi innueretur ſatyrus quidam occiſi & excoriati ab Mercurio gigantis Aſci pellem ab eodem accepiſse, quam ſatyrus ille vino repletam detulerit ad cupreſsum; ut ſic ænigma illius monetæ ſuppleat & confirmet quodammodo primam Stephani narrationem, ſed ſub auxilio Græcæ pronuntiationis, non indigenæ ac vetuſtæ. Verum cives alii per hujus nummi, quem prætuli, inſigne voluerunt notare conditorem urbis, quicunque fuit, ab dama nutritum, deinde etiam ab eo animali nomen urbi impoſuiſse, perinde ut a ducibus capris Caranus vocavit urbem Ægas. Hunc vero an etiam innuerint fuiſse Aſcum puerum, quod ſupponit *Cl. Vaillantius, cui omne hujus nummi ſub Philippo Imp. cuſi beneficium debemus*, vix dixerim: non magis quam ab Aſco gigante conditam tradi Stephano idem narrat, quum Stephanus modo nominatam inde ſcribat; quæ ſane ſunt diverſa. Etiam Cardinalis Noriſius in Epochis Syromacedonum pag. 75. ſcribit: *alii ab Aſco gigante a Jove poſtea occiſo, extructam narrant apud Iſidorum in vita Damaſcii in codice*

D *Photii*

Photii 242. quum ibi Græca tantum hæc de nomine agant[a]. Hoc igitur egregium priſcæ memoriæ indicium nec prætereo nec differo. Quid enim attinet aut cum Ægyptiis admirari illam Dioſpolin, quam multo ante Argos ab Phoroneo conditum concedente Plinio, ipſi primam omnino exſtructam dicebant, idque ex conſenſu variorum auctorum, quos refert Scholiaſtes Apollonii ad librum IV. 262. aut ad aliorum narrationes vel Juſtini ac Hieronymi diverſos Damaſcos, ſeu Damam Bacchi militem ex Etymologico deviare? Infectæ ſunt omnes paribus ignorantiæ notis, quum interim poſterioribus incolis placuerit hic puer ab dama nutritus.

a. Οἱ δὲ τὴν ἐπωνυμίαν διδόασι τῇ πόλει ἀπὸ γίγαντός τινος, ᾧ ὄνομα Ἀσκὸς, ὃν ὁ Ζεὺς ἐδάμασεν ἐνταῦθα. Alia eſt ἐπωνυμία, alia κτίσις.


ATHOS
montis cognominis genius .

ATHOS.



IN Europam nos revocat unius gigantum memoria, quam ſervavit mons ab poſteris in Thraciæ ora celebratus Athos per hujus *Goltziani nummi* imaginem; in qua quum ambigeret Nonnius Jovemne Athoum an giganta Athon cerneret, Iſ. Voſſius de hoc accipiendam potius pronunciat, qui bello contra deos (huic autem & tempori & actioni ipſe ſolus pro imperio ſuo verſus Nicandri ab Stephano citatos adſtringit) cum tam vaſtam molem videret in ſolo Thracio, inde ſolviſſe eam dicatur, fundatam prius ſub immenſa palude. Et potuit hoc commentum velificari laudi inventoris, pluribus jam cum aſſenſu citantibus. At profecto ſi attendas, cenſeas vix intelligi poſſe vaſtam molem fundatam ſub immenſa palude. Deinde in ea interpretatione fallitur admodum, quum participium [a] quod vertit *fundatam*, nequeat referri ad voces Græcas, quibuſcum in Latina verſione ipſe componit [b]: ſed debeat conſtrui cum genitivis [c], ut conatur emendare. Et quæſo quam bella Voſſiana fabula? Cur enim in bello utique contra Deos per illum ſoluta fuit ab ſolo Thracio, ut ſic transferretur? quod translationis momentum? an non ſic quoque manſit fundata in ſolo Thracio? Etiam literæ ϖ non patiuntur, ut in participio iſto [d] ſit anapæſtus, quod patet ex Sophocle & Apollonio, quorum verba ſunt nota. Editores tamen Stephani lætantur ſane hoc commentum approbare, etiam auctores Lexicorum, quum Harduinus nominet Genium iſtius montis. Sine dubio eſt Gigas, ſed qui invidia liberandus. Nihil ait Nicander de bello contra Deos. Sed fingitur hic Athos, velut amator litoris, ex mediterraneis locis & quidem lacu, qui eum circumdabat, montis ſibi cognominis avulſiſſe radices, ut ſolutum ita tranſponeret ad mare, utpote in locum & ſitum opportuniorem ad arbitria pelagi; quod videtur finxiſſe Nicander ex fide Athoitarum, qui idcirco heroa ſuum finxerunt jacentem in monte ſuo, non modo velut otioſe deſuper contemplantem, ſed etiam altera manu capiti impoſita; quod quum ſit ænigma quieſcentis poſt perpetratos labores, patet eum non geſſiſſe bella contra Deos (quippe ab his illi omnes trucidati ſunt) ſed habitum eum laudatumque, tanquam qui loca regionis ejus emendaverit, ac forſan ſupervixerit reliquis fratribus, qui cælum oppugnaverant. Explicationem hujus geſtus apud antiquos ſuppeditat ipſe Lucianus de Gymnaſiis, in ſtatua Lycii Apollinis: *dextra autem ſuper caput inflexa, tanquam ab longo labore quieſcentem oſtendit Deum* [e]. Ta-

a. Οὐδηθέντος.
b. Τόσον ὕψος.
c. Θρηΐκος ἀγροῦ.
d. Ἀνασπῶν.
e. Ἡ δεξιὰ δὲ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς κεκλασμένη, ὥσπερ ἐκ καμάτου μακροῦ ἀναπαυόμενον δείκνυσι τὸν Θεόν.

lis ſæpe Hercules in vetuſtis monumentis occurrit, ſæpe etiam Bacchus, ut in nummo Gordiani apud Erizzum. Talis Apollo Pellæus apud Clariſſimum & horum ſtudiorum fautorem maximum Jac. de Wilde in ſelectorum numiſmatum tabula XXII. Fabula tota ſic ſe habere videtur, quum ab Scholiaſte Theocriti ſcribatur Athos Neptuni & Rhodopes filius, crediđiſſe veteres circa Rhodopen fuiſſe lacum, in quo quondam hic mons poſitus fuerit; ſed quem iſte Athos tranſtulerit [a]. Unus hic dubium ſubjicit Servius ad eclogam VI. ſcribens Deucalionem cum Pyrrha in monte Atho liberatos eſſe. Quis hæc fabularum fragmenta conciliabit?

a. Ut verſus fuerit Καί τις Ἄθω τόσον ὕψος ἰδὼν Θρήϊκος ὑπαίθρου. *Scilicet quia hæc montis pars ab interioribus partibus ſic ſupponebatur translata, hinc finxerunt eum Rhodopes & Neptuni filium, Rhodopes, unde venerat; Neptuni, ad quem ſe tranſtulerat, & cui gratus erat ipſe, tum Neptunus ipſi.*


RHODOPE
Rhodopes, Thracici montis, Nympha.

RHODOPE.



PSA Thracia me monet, ut licet in hac parte numerus annorum ſit incertus, adponam fabulationis antiquæ eximiam prorſus tabulam ex moneta Philippopolitarum *ab Cl. Seguino producta* deſumptam, qua tradiderunt montem quem accolebant, Rhodopen appellari ab puella, ejuſdem quondam nominis. Cui cum placeret frater Hæmus, nec minus fratri placeret ſoror, ecce ſic in terris fuerunt Juno & Jupiter, non difficiliore negotio, quam quum ſcenicus ille Jupiter Latiaris etiam in ſua ſorore ſimile majeſtatis mendacium Romæ oſtenderet. Sed irata numina, quæ nollent ab hominibus ſciri eadem illis, quæ in cælo ſuo agerentur, multo minus etiam ab aliis agi, dicuntur utriuſque corpus convertiſſe in montes ſui nominis. Itaque inſidet ipſa monti ſuo pulchritudinis ingenuæ non pœnitens oſtentanſque manu ſiniſtra herbam in ripa, ut videtur, Hebri vallem in Hæmi & Rhodopes radicibus irrigantis, & urbem Philippopolin fere radentis, ut ſcribit Lucianus in dialogo, quem Fugitivos appellat, frequentem. Neque vero hæc effigies determinat, utrum regina fuerit, an Nympha; quum illo tempore ea vixiſſe ſupponatur, quo nec diademata nec coronæ, quæ duo genera cauſatur Cl. vir, noſcebantur. Itaque impune licet cum Ovidio dicere illam & Hæmum

Nunc gelidos montes, mortalia corpora quondam,
Nomina ſummorum ſibi qui tribuere Deorum.

Quod ipſum explanat auctor, qui ſub nomine Plutarchi de fluviis exſtat, quem miror ſic caſtigari ab Mauſſaco, ut ſcribat inepte finxiſſe hic illum auctorem ob cauſam, quam memoravi, a Diis punitos eſſe, quum ipſe Ovidius idem teſtetur. Et quid? an non ſimile exemplum ſtatuerunt Dii in Ceyce & Alcyone eaſdem appellationes violantibus & idcirco per properas vel mortes vel mutationes corporum expiare compulſis? Multo minus ut dum mulier monti inſidet, eo ſic indicetur ſitus urbis, ut vult Harduinus, quum Philippopolis nec in jugo, nec in medio clivo dicatur fuiſſe ſita, ſed ſub Rhodope, ut diſerte illic citat ex Plinio.



NYMPHAE

Nymphaei Apolloniatarum praeſides

NYMPHÆUM APOLLONIATARUM.



NCIDI in eam partem, quæ conducit & convocat notitiam locorum, ubi licet naturaliter perpetua obtinuit eadem indoles ac conditio, a fabulis tamen acceperunt cum ingenti fama mirificas narrationes. Hinc opinor utiliter admodum huc apponi memorabile antiquitatis fatum, quod in nummis Apolloniæ urbis aperuit primus *Guil. Choulius*; mox *Hub. Goltzius* a se quoque repertum publicavit, ubi Nonnius illudens Choulio explicanti bacchantes tres puellas saltantesque circa foculum, ipse interpretatur Gratias, prorsus cum nummo comparatis verbis Senecæ: & tamen id quod Choulius exprimit vocabulo foculi, ne attingit quidem vel ipse vel Harduinus. Hic enim quum Nonnius trahat nummum ad Apolloniam in sinistro latere Ponti Euxini, ad Apollonidem torquet Asiæ minoris oppidum, nulla prorsus probatione, alioqui etiam intelligens simpliciter trium Charitum effigies, foculi, ut dico, securus. Sed hariolantur fœde, & clarissime apparet Apolloniatas esse Epiri, qui hoc nummo suum Nymphæum jactitant merita ostentatione, quippe quod fuerit celebratissimum, & eruditorum omnium prisci temporis vel admiratione vel adnotatione indicatum, prout residua eorum verba etiamnum declarant, quæ colligere & huc adferre non sustineo quum illis recognoscendis integrum caput n. XXVIII. in Græcia Antiqua, quum jam præcedenti capite attigisset, concesserit nobilis ille heros Palmerius a Grentemesnil, ubi Aristotelem, Plutarchum, Ælianum, Plinium, Dionem Cassium, Vitruvium Liviumque præcones citat certe veridicos, in quibus vel maxime observari meretur descriptio Dionis, dicentis ignem illum vicinum Aoo fluvio non corripere magnam circumjectæ terræ partem, sed nec illam ipsam, in qua viget, plane exhaurire & exurere, sed herbas arboresque etiam in proximo florere. Unde patet egregie, tum cur aliquid crateris instar, unde effervet flamma, hic sit appositum; tum cur circa illud agantur choreæ per Nymphas, utpote in agro uberi lætoque ac florido. Sed plura tamen sunt ejus apud antiquos testimonia, nec sane hic omittenda. Nam & Plinius libro III cap. 23 scribit. *Apollonia quondam Corinthiorum colonia* VII *m. passuum a mari recedens, cujus in finibus celebre Nymphæum*. Quale illud sit, aperit lib. II. cap. 110. *Juxta gelidum fontem semper ardens Nymphæi crater dira Apolloniatis suis portendit: augetur imbribus egeritque bitumen* &c. Etiam Salmasianus Ampelius: *Ab Apollonia ad Amantiam millia passuum quinque in monte Nymphæo, ibi ignis est, & de terra exit flamma. In silva Panis symphonia in oppidum auditur. Item sub eo monte in campo lacus aquæ pleni, unde pix exit, & bitumen. Cum manibus supplodas, pix alte attollitur, & quasi ab aqua bullescit.* Quibus verbis videtur plane causam ede-


re, cur crediderint ab Nymphis illic exerceri choreas, & non utique manibus, ſed pedibus ſupplodere, tunc ſcilicet quum pix attolleretur. Eſt etiam narratio Antigoni Caryſtii in Paradoxis pag. 148. *Circa Amantiam templum eſſe Nympharum, in quo fontem eſſe aquæ ultra quam dici queat frigidæ: quidquid autem ſuperpoſueris, calefieri. Quod ſi ſarmentum aut tale quid admoveris, ardere cum flamma* [a]. Itaque hæc cauſa adduxit Apollonium Rhodium, ut illam regionem appellaret Nymphæam IV. 574.

Poſtea vero Melitam quoque molli lætantes vento
Et excelſam Ceroſſum, & quæ eſt multo ulterior,
Nymphæam prætervehebant [b]. ———

Porro id Nymphæum plane ſic continetur ternario Nympharum numero, prout ad Pomponii Melæ librum ſecundum firmavi. Quum vero duplex nummus apud Goltzium ſervet memoriam hujus loci, præter illum, quem majore orbe poſui, etiam alterum hic adjungere placuit ad reficiendos ipſa literarum & crateris tranſpoſitione oculos.

a. Περὶ δὲ τὴν Ἀθαμανίαν ἱερὸν εἶναι Νυμφῶν, ἐν ᾧ τὴν κρήνην τὸ μὲν ὕδωρ ἔχειν ἄφατον, ὡς ψυχρόν· ὃ δ᾽ ἂν ὑπερθῇς αὐτοῦ, θερμαίνειν. ἐὰν δέ τις φρύγανον ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων προσενέγκῃ, μετὰ φλογὸς καίεσθαι, ubi patet τὴν Ἀμαντίαν legendum.

b. Τῇ δ᾽ ἔπι καὶ Μελίτην λιαρῷ περιγηθέες οὔρῳ, Αἰπεινήν τε Κερωσσὸν, ὕπερθε δὲ πολλὸν ἐοῦσαν Νυμφαίην παράμειβον. —— ——



CYCLOPS
inter fabros officinae Vulcani.

CYCLOPS.

THOS igitur quum renovaverit memoriam gigantum, qui montibus pugnaviſſe traduntur; poſt eos exſtitere Cyclopes, qui coxere ferrum ad arma. Horum autem natio quando deſierit eſſe, quam incœperit, facilius annotaveris. Nam quum circa bellum Trojanum reliquias etiam eorum & exempla ſuperfuiſſe canant poetæ, tum in primam antiquitatem initia debent immitti. Itaque non hic exhibetur a nobis aliquis ab ſtirpe ultima. Immo vero ille ipſe, quem Corinthii potiſſimum pro heroe coluerunt, qui quidem etiam Neptunum ipſum tridente donavit, ut ex Apollodoro notavit *idem, cui notitiam hujus nummi debemus*, *Cl. Vaillantius*. Hujus enim ſententiam in ſpectanda hac imagine ſequor. Itaque licet ſedes eorum poetica tradatur potius fuiſſe Sicilia; tamen & in aliis regionibus fuere pernoti, ac ſingillatim circa Peloponneſum, ubi plurima eorum opera recenſet Pauſanias; etiam Cretenſes Labyrinthos Strabone appellante Cyclopia, etiam in arce Tirynthiæ urbis agnoſcente manus Cyclopum, quum & Scholiaſtes Apollonii ad IV. 1091. ſcribat Perſeum ex Seripho cum Cyclopibus & Danae & Andromeda petiviſſe Argos: qui etiam ad libr. IV. 269. Cyclopem fatetur patrem Nili filium Tantali, regem Ægypti, idque ex Hermippo. Ut propius tangamus, Theocriti Scholiaſtes ad Idyll. I. nominat filios Briarei, unius Cyclopum [a]. Iſte quum in hiſtoria Corinthiaca ſic celebretur, quaſi qui Iſthmi reliqua adtribuerit Neptuno, Acrocorinthum autem Soli, videri poſſet hæc urbs nominatim ad hunc reſpexiſſe; ſive eundem, ſive alium illo, quem Scholiaſtes Apollonii I. 1165. notat in oſtiis Rhyndaci fluminis ſitum eſſe, ſed ab Neptuno oppreſſum & ſcriptori iſti Ægæona appellatum, ſic ut ipſe Briareum, Ægæona, & Gyem pro eodem denique habeat. Hæc Corinthus etiam, ut manifeſte apparet, plane non venerata fuit vetuſtatem fabulæ, qua unum modo in media fronte narrantur Cyclopes habuiſſe oculum, prout nec id placuit auctori tabulæ Iliados, ubi Vulcanus cum Cyclopibus fabricat arma Achilli. Et certe hunc unum oculum ex ipſorum appellatione expellere non dubitavit per etymologiam ſuam Bochartus, immodicam & omnino non credendam habitationis anguſtiam in vocabulo mere Græco ex orientis ſermone coarctans. Stat igitur Cyclops Briareus compactis pleniſque membris in corpore ipſo & manibus præferens fabrilis opificii inſignia, ſubligaculum nempe cum malleo & forcipe, qui deinde habitus fabrorum in officinis ferrariis fuit, ut declarat pergula Vulcani in marmore nobiliſſimo, unde Promethea propoſuimus.


a. Παῖδας Βριάρεω ἑνὸς τ̃ Κυκλώπων.



CECROPS GEMINVS

Matrimonii ſuaſor.

CECROPS.



OMINENTUR in diverſis Græciæ partibus alia regum nomina ; etiam circa agrum Atticum laudentur nomina regia ut ulterioris ætatis Porphyrion vel Actæon vel Colænus. Attamen conſenſu ferme antiquitatis primum illic videmus Cecropem, tam apud hiſtoricos, quam poetas & fabulatores , ita ut hinc merito ab eo chronologiam ſuam inchoarit auctor chronici Arundelliani, ſatis inſigni epocha, qua in noſtræ continentis partibus cœperunt illic regionibus & incolis nomina dari ab principibus, ut ab hoc Cecropia & Cecropidæ. Itaque quum perſonaret ubique hic Cecrops, non minus deſideravit poſteritas quoque conſervatum videre ejus vultum , quem quocunque modo huc uſque in gemma exſtantem produxit *Ang. Caninus* ea donatus ab Pet. Quintilio , ſingulari certe artificio, ut brevi conſpectu univerſus ille Cecrops cognoſceretur . Ut enim aliis ſua libens concedo , ſerpens ille volans demonſtrat Ægyptium, quum & Pomponius Mela lib. III. cap. 8. illic tales agnoſcat utpote ſolo iſti innaſcentes, & Joſephus lib. II. cap. 10. ſcribat quædam genera ſerpentum illic provenire præcipuæ vitioſitatis; quorum aliqua ſint etiam volatilia , ut & occulte in terra noceant, & in ſecuros deſuper irruant [a]. Hoc igitur impoſitum ab artifice ſignum clariſſime originem ſcriptis monumentis quoque notatam aperit . Addidit memorabilem utriuſque vultus juncturam, ut iſtum geminum, duplicem, biſacem tantopere celebratum exprimeret. Qui quam diverſis conjecturis interpretantium materiam præbuit , his ad proceritatem duplo majorem, aut notitiam Ægyptii & Hebræi ſermonis, aliis ad inſtitutionem legitimi conjugii , aut partem draconis cum humana junctam , & ita temperatam ex utraque natura pro variis temporibus mentem, trahentibus ? Hæc ſunt, quibus colligendis caput nonum libri primi de Regibus Athenienſium impendit Cl. Meurſius . Quæ tamen ſingula quum ſint cujuſcunque ſcribentis inventa, non ex veris documentis antiquitatum probata , quanto elegantiora ſuperſunt in ſpectando vocabulo iſto Græco [b] ? Nam talem [c] Tireſiam quoque dixit Lucianus in dialogo de Aſtrologia , quod invenerit inerrantium ſtellarum alias viriles , alias muliebres. Etiam Scylla biformis dicitur Virgilio in Ciri , quo vocabulo in Cecrope utitur Juſtinus. Etiam quum vere notaverit Lil. Gyraldus , Cecropem tradi a multis fuiſſe , qui vel apud Athenienſes invenerit primus literas, vel obſoletas renova-

a. Ægyptus παμφορωτάτη τῶν ἑρπετῶν , τινὰ δ' αὐτῶν ἐςὶ καὶ πετεινὰ , ὡς λαθόντα μὲν ἀπὸ γῆς κακουργεῖν, καὶ μὴ προειδομένας ἀδικεῖν ὑπερπετῆ γινόμενα.

b. Διφυής

c. Διφυῆ ἢ ἀμφίβιον.

verit ; ex eo quod non modo loqui , ſed & ſcribere potuerit , atque ita ſenſus mentis gemina ratione effingere & duplex os referre , viſum hinc quoque exiſtimet aliquis talem . Ex his marmor ſine dubio notavit Cecropem illum fuiſse , qui conſiderans illam opportunitatem , quæ ad maximas res in animo hominum eſset , ſtatuit nuptias debere eſse legitimas , & certos quemque inſpicere liberos .



HELLEN
Auctor Graeci generis.

HELLEN.



Et ille quidem ultra diluvium Deucalionis narratur; hoc qui proximus accedit, eſt hic vigens & robuſtus Hellen. Et eſt quiſquam, cui non ſummopere acceptus & gratus veniat obtutus magni herois, quem ut appellationis, ita & nationis ſuæ conditorem, utque cum Tertulliano loquar, originalem auctorem nuncupat gens fæcundiſſima commodis vitæ inventis. Statuebatur is Deucalionis, aut Jovis, aut Phthii (cur enim hunc negat Jo. Faber, quem clare Stephanus indicat?) filius. Hæc enim patrum nomina ex diverſis ſcriptis collegit Nob. Grentemeſnilius in Antiqua Græcia. Sed & ante eum noverunt alii ſatis multi. Ut pro monſtro haberi debeat, quod Heliodori verba lib. 11 pag. 122 de Ænianibus [a] interpres potuerit redigere in Latinum *prorſus Græca a Deucalione Græco orta*. Sed magis mirabile potuiſſe hanc interpretationem placere vel Holſtenio iſta Heliodorea citanti ad Stephanum [b] vel editori caſtigationum ejus. Quibus tamen apponi debet quartus Prometheus, quem indicat Scholiaſtes Apollonii III, 1085 [c]. Illuſtris certe origo. Sed quanto illuſtrior clariorque propago ejus, ut ex eo proveniſſe dicantur Æolus Doruſque & Xuthus, patres gentium & linguarum? Itaque per hæc tantopere diſcrepantia & tam inſigni ſobole quid aliud, quam vetuſtas ſimul temporum ejus apparet, ſimul civitatum Græci nominis jactantia in eo tanquam progenitore vindicando emicat? Hinc liberum capillum gerit, ultra diadematis uſum ætate ejus porrecta. Sed & perinde congruam tantis incrementis formam exhibet, omni quidem ex parte conſiderationi acri aptatam, ſed maxime in elevata manu promiſſo elatoque digito indice, quem ad naſum uſque prætendit: non ut daret ſimilitudinem diſputantis & vivi ac meditabundi Scholaſtici; ſed velut ſignificaretur in ipſo hoc ſilentio declarari admiratio, qua de futuris ſæculis & inclita progenie corripiebatur vel ipſe proſpiciens, vel oraculorum prædicta ſecum multiplici conſideratione exigens. Hujus admirantis intentionis illum habitum eſſe docet Conſtantia Claudii tam bellica quam urbana ſic effingi ſolita, qua id agit, ut caute prudenterque inſpiciat, quid priore fama ſit dignum, ſibique reſpondeat, conſtans in omnibus, etſi oblivio iſtius principis ſit nota. Itaque merito hunc ei locum dedimus, cui permagna gaudiorum noſtrorum pars debet inſcribi. Hoc autem vultu crediſiſſe Græcos eum fuiſſe fides ſit *ex gemma*, & quidem corniola, prout dubitationem Jo. Fabri inter eam & ſardam hæſitantis firmabat eruditiſſimus Gevartius, cujus exemplar, imagines Fulv. Urſini complectens & ab ipſo emendatum & ad prototypa exactum quondam Romæ, licet mihi cum maxime inſpicere.

a. Ακειβῶς Ελλωικὸν ἀφ' Ελλίωος τῦ Δϵὐκαλίωνος.
b. In voce Υπάτη.
c. Οτι Προμηθέως ϰ̀ Πύῤῥας Ελλίω.


EVROPA SIDONIA
ab Tauro avecta.

EUROPA.




Post adſignatas quibuſdam terris appellationes, quas legimus vetuſtiſſimas, tempus eſt, ut de tota Europa cogitemus, quam filiam creditam Agenoris & Telephaſſæ, ut mater ejus ab aliis, Agriope ab Higino appellatur, hoc in geſtu ſuſceptam ab amatore & ad mare feſtinato curſu devectam reliquiſſe Syriæ oram, ut in tranſmarinam veniret, crediderunt Sidonii, conſtante prorſus iſtius temporis judicio, unde ſic eam ſub Elagabalo, & Alex. Severo nummis ſuis effinxerunt, *quos publicavit Cl. Vaillantius*, quem non fugit hac in parte teſtimonium notiſſimum Luciani. Et ſane in idem conſenſerunt Gortynii, qui præterfluentem urbi ſuæ amnem Letheum vindicant portum ejus fuiſſe notante Solino, etiam fabulis modo Carnejum, modo Dodonum inde natum tradentibus. Prudenter quidem eam Romanis Europæorum præcipuis jactarunt Sidonii, ut ſe illis commendarent, inæſtimabile & æternum beneficium compenſatum iri indulgentia ſperantes. Quamvis autem non deeſſent nummi ex ipſa continente cognomine, (ut in familiis Romanis Urſini ille Valerianus; aut etiam anteriores ex ipſa Sidone, ut ille ſub Trajano apud Cl. Patinum pag. 182. in quo utroque certe retinet cornu, quod ex Ovidio & Achille Tatio obſervavit etiam Triſtanus, hujus ſententiam de ſiniſtra manu probante Luciano, apud quem dicit Zephyrus, ſe vidiſſe *læva quidem tenentem cornu*, *ne labaret* [a]) hos tamen prætuli, quoniam non ſemper convenit Aſiaticis cum Europæis, aut etiam cum ſe ipſis, ut inſpicienti poteſt patere. Talis igitur quum ſæpe exhiberetur in aliarum regionum ac temporum monumentis, divinius nunc cenſuere de ea & de vectore Sidonii, ſeſſum ſatis ſtabilem fore judicantes, licet nullo fulcimento niteretur, qualis proinde exſtat quoque depicta in ſepulcro Naſoniano tab. XVII & apud eundem Patinum pagina præcedente ita cudi voluit commune Cretenſium [b], tum pagina 86. in Auguſtæo nummo ab eadem inſula, ut putat. Hic tamen caveri oportet. Nec enim ubi fœmina tauro inſidet, utique ea innuit Europam. In eo nimium credulos opinor doctos nummorum interpretes. Cujus memorabile exemplum placet nunc adjicere ex nummis Romanis in gente Volteja,



a. Τῇ λαιᾷ μὲν ἐχομένην τοῦ κέρατος, ὡς μὴ ὀλισθάνοι. b. Κοινὸν Κρητῶν.

ubi feliciter procedit eximius ille Urſinus in quinque nummis explicandis: ab ſexto hoc paululum retardatus, denique fatetur de Europæ illo ſigno nihil ſe certi afferre poſſe, quo pertineat, tandem delapſus ad procurationem templi Jovis, in quo ſcilicet hoc ejus factum exſtare debuerit. Ecce colorem. Quem quam longe deſerit Steph. Pigius in faſtis ad annum urbis DCLXXVIII? Nempe Voltejus quæſtor Claudii Cretici ſic duxit Iovem tauriformem e Phœnice & Ponto cum præda ſua verſus Cretam, ut & quæſtura iſta huic nummo acquieſcat, & improba Claudii facinora voluerit hac memoria & tali ſymbolo prodere in publicum. An poteſt quid magis audax & minus lepidum? Immo plane apparet Voltejos iſtos, qui monetales triumviri fuerunt, delectatos admodum fuiſſe vetuſtiſſimis cærimoniarum indigitamentis, quibus inſignita ſunt iſta nomiſmata, in quibus ſunt Ceres, Cybele &c. Ex eo genere eſt etiam hoc ſpecimen, quo pulcherrima ſacratur relatio de Themide, quæ aquas diluvii Deucalionei fugiens, bovem conſcendiſſe narratur & ab eo devecta eſſe ad Epiri urbem Bucheta; ut ex Philoſtephano unus ſervavit Harpocration [a], cujus fides ex hoc nummo præclare firmatur, ut eam in dubium revocare non debuerit Doct. Mauſſacus in notis ad urbem Elatean. Folium ilicis, quod ſuppoſitum illic eſt, ſatis manifeſte ejus nummi hiſtoriam trahit Epirum verſus. Imo & ſæpius eam ipſam nummis inditam reor.

a. Βούχετα πόλις ἐστὶ τῆς Ἠπείρου, ἣν Φιλοστέφανος ἐν τοῖς Ἠπειρωτικοῖς ὠνομάσθαι φησὶ, διὰ τὸ τὴν Θέμιν ἐπὶ βοὸς ὀχουμένην ἐλθεῖν ἐκεῖσε κατὰ τὸν Δευκαλίωνος κατακλυσμόν.


COL. TYR. METR.
CADMVS
Serpentem obtruncans

CADMUS.



HUIC & ſanguine & profectionis fato junctus Cadmus ita præbetur ſpectandus ab Tyriis ſub Gordiano *apud eundem Vaillantium*, quum ſub Gallieno amiculum iſtud ſinuetur etiam poſt tergum. Magna iſtius viri imago, ut cui proavus Jupiter, Neptunus avus, Mars & Venus ſoceri, Thyone & Leucothea filiæ, Bacchus & Palæmon nepotes agnoſcebantur, enumerante Scholiaſte Pindari alludente ad hanc decantatam ejus apud antiquos fortunam Ovidio

Exilii felix, ſoceri tibi Marſque Venuſque
Contigerant, huc adde genus de conjuge tanta
Tot natos nataſque & pignora cara nepotes.

Cujus memoriam quum multa commendent, Plinio auri metalla & conflaturam inventam ei attribuente VII. 56. Higino æs inventum Thebis primum contudiſſe (ſic enim *contudit* in eo loco legimus pro *condidit*, quod miris modis interpretantur ſeduli homines) teſtante fab. 274. quod etiam conſiderare maluit Bochartus; ipſam Cadmeam ab eo conſtitutam iſta appellatione fatente, literas nonnullas in Græciam advectas fatente omnium conſenſu, fabulis vero plurima ejus opera memorantibus; hic typus eum exhibet, quando miſeratus ſociorum ab Dracone Dirces vel Caſtalii fontis cuſtode necatorum caſum,


Aut ultor veſtræ, fidiſſima corpora, mortis
Aut comes, inquit, ero; dixit, dextraque molarem
Suſtulit, & magnum magno conamine miſit.

Prorſus accommodate ad noſtri toto corpore nitentis figuram; in qua necdum patet, quid jactus ille effecerit; nedum ut huc faciant voces illæ Nonni [a] quas bis huc attulit Vaillantius, nedum ut ſerpentem nunc interficiat, quod de ſuo adfert. Non quo negem eos credidiſſe id lapide factum, perinde ut ab Higino dicitur Draco Martis filius a Cadmo lapide eſſe interfectus fab. 178. etiam monumentum mox ſubjiciendum videtur hanc Tyriorum opinionem declarare: attamen ipſe Cadmus apud Ovidium lib. 4. ſua trajectum cuſpide memorat. Facti hujus & civis fama potiſſimum Tyriis ad hanc rem videtur placuiſſe, ut parem virtutem felicitatemque in duobus illis principibus per blanditias augurarentur, certe poſteris venerationem ſuam antiquitatis proderent. Itaque non hunc modo Cadmum ſic nobis reliquerunt, ſed ipſum

M quo-

a. Ακρα δρακοντείοιο καρήατος τεθλασμένα.


quoque, ut modo vocavit Ovidius, molarem lapidem ab morticinio ſuo circumvolutum, prout in eorundem nummo conſpicitur, ex ejuſdem coloniarum voluminis tomo II pag. 136. hic appoſito.



Veram enim eſſe Cl. Viri in iſta commentarii parte expoſitionem hanc opinor, etſi hæc ad ovi inſtar figura conveniat admodum ſacro lapidi Heliopolitarum ſub Valeriano, qui ibidem exhibetur pag. 331. ubi victor in certaminis quacunque pugna dextram demittit in cavernam lunæ creſcentis, quam huic ipſi formæ impoſitam refert, ut videtur, ita ſignificans, quo ſavente vel in cujus numinis agone palmam acceperit, aliter quam illic intelligi vides. Hic tamen tantus Heros, quum uxorem duxiſſet Harmoniem, ut patuit, Veneris, ſed Scholiaſte Apollonii Rhodii Electræ vel Electryonæ filiam ſcribente, dicitur tandem cum ipſa mutatus in ſerpentem, ut videtur non procul ab Drilone fluvio, apud eum lapides [a] & ſacrum [b] iſtorum determinante Scylace, quum Ovidius Illyricos fines, Higinus Illyriæ regiones monſtraſſe hactenus malint, quam tamen oram Herodotus videtur v. 6. & Apollodorus lib. III. aperte ad Encheleſes referre, ubi etiam fabulæ ejus hiſtoricam ſententiam, quam ſovebat, ſatis oſtendit. Et hos innui ſerpentes opinor in nummo, quem exhibet Theſaurus Palatinus pag. 153. & paulo ante his inſeri curavi, invicem obvertentes ora, quum nulla ratio Colchicum & Cadmæum conducere potuiſſe videatur. Sane potius convocaviſſet interpres & editor ejus Theſauri Colchicum & Africum ad Heſperidum mala. Hi enim duo in eo conveniunt, quod ſint nati ex Typhone & Echidna, ut fabulatur Higinus num. CLI. At vero noſtri dracones, quanquam aperiant ora, quanquam dentes oſtendant, tamen clare ſe placidos præbent, etiam caudis blandientes, etiam in eandem figuram converſos, & ſibi propinquantes nonniſi ad oſculum.

a. Λίθους. b. Ἱερόν.




ΑΓΚΑΛ
SEMIRAMIS
Regina Syriae et Dea

SEMIRAMIS.



REGINA ſequitur vel auguſtius Regina nomen Semiramis, quæ & terras & linguas & ſcripta omnium gentium ſplendore ſuo non tam implevit, quam præſtrinxit. Hinc nec ſatisfacere ſibi potuerunt citeriora ſæcula, ut vel initia ejus, vel ipſius regiminis rationem, vel exitum definirent veris annis, aut certo ſermone commemorarent. Gentes hic homineſque diſcrepant. Unum modo conſtat Syriam illa regnante fuiſſe opulentiſſimam. Quod quum vel conſiliis vel armis atque magna Principum moderatione contingat, hinc de ipſa quoque æquum eſt colligi, ſi non aliunde, at exemplo Perſicorum Regum galeis ſuis illam unicam inſerentium ad admirationem tantæ fæminæ. Hæc illa eſt, ad cujus exemplum metiri ambitionem ſuam convitio irritatus Julius Cæſar ſuſtinuit, quum diceret, etiam in Syria regnaſſe Semiramin; non tam quod dicterio illectus ſimplici mentis ac memoriæ impulſu ad hanc venerit, ſed quod videntur Romani eam perpetim habuiſſe in ore, quum & Cicero ſic in de provinciis conſularibus, *An vero in Syria diutius eſt Semiramis illa retinenda*? Hac etiam occaſione exſtiterunt ejus plurimæ imagines, quarum nonnullæ quum ex gemmarum ſculpturis ab viris peritis ſint animadverſæ, nobis placet ante omnia eſſe ſecuris, atque ideo ex nummis potiſſimum hanc majorem, ſed a qua prorſus non diſcedunt minores, niſi quod diverſis parergis exornentur, excepimus, quam patet non modo ad illam pertinere, ſed quæ venerationem ejus quoque per Aſiam ſæculis omnibus, etiam ſeris ſub Romanorum Cæſaribus provulgat. Vere enim ut Regina vel Tutela quædam divinior hic effingitur in radiata corona aut turrita, (ſi modo recte hæc ſit conſiderata, etſi Harduinus hanc ſolam reſpiciat, radiatam ignoret, perinde ut etiam Card. Noriſius, quum tamen & Lucianus habeat radios [a]) inſiſtens ſerpentis vel anguillæ curvantis ſe, aut flexæ fruticis medio, etiam appoſito ſceptro vel biſurco inſigni, ſed maxime conſpicua columba, certiſſimo Semiramidos documento, quam ſemper in hac ave cultam ab Aſiaticorum illa natione teſtatur omnis antiquitas, & de Aſcalone præſertim urbe adſeverat inſcriptio hujus figuræ ſub Au-







a. Ακτύνας.

gusto cusæ & ab Cl. Patino publicatæ; ut prima inter minores sub Tito, secunda sub eodem apud Tristanum, tertia sub Antonino Pio item apud Patinum. Neque enim deterret Harduinus, quominus Semiramin in hac figura spectemus. Ille quidem suppressa Semirami memorat ipsam civitatem Ascalonitarum & columbam Veneris Cælestis symbolum; mox tamen ex Luciano ipsam Venerem Cælestem in nummis depingi ostentat; quasi omnia hæc essent aliena ab Semirami, quam Tristanus & Patinus indicabant, & hanc eo ipso divinitatis nomine celatam nullus dubito. Duas alias ex nummis figuras sub Nerone & Domitiano cusas, etsi parvo distantes discrimine & ideo commode hic negligendas video evulgari in Epochis Syromacedonum, ubi historia Ascalonis etiam recensetur ex auctoribus per alios suppeditatis. Quis enim non de Ascalone inspexit citavitque Josuam & literas sacras, aut Hieronymum Justinumve aut Josephum, Strabonem, Wilh. Tyrium, Diodorum, Philonem, Ovidium, Pausaniam? Et quis non ex Stephano recitavit Ascalum ducem factum ab Halyatte Lydorum rege [a]? Mireris profecto illa tralaticia sic perpetuo & ubique citari debere; ista quæ ex Etymologico [b] citat Casaubonus ad Suetonii Julium, nempe Caystrum fuisse filium Penthesileæ Amazonis, qui in urbe Ascalone duxerit Derceto, & ex ea genuisse Semiramin, obrui silentio & latere. Itaque hic posui. Restat ut videamus id quod discedens a se & pendulum tenet manu sinistra. Tristano enim ramum vitis credente & rejiciente Occonem, qui duplicem spectabat lituum, Patino tacente, Harduinus ex Luciano colum [c] innuit: cujus forma hinc est alienissima, quamcunque ille informet. Immo videntur esse fila ceparum, ut loquebantur, de quibus etiam alia dabitur occasio, quas & primas & præstantissimas ibi fuisse docuerunt viri docti ex Strabone, Plinio, Stephano, in quarum summo apparent capita ipsa, quæ non satis bene exprimuntur ex nummis in his linearum circumductionibus.

a. Nam pro nomine corrupto in illis verbis ὑπὸ Ακιαμȣ τȣ Λυδῶν βασιλέως satis patet scribi oportere Αλυάττȣ, vel Αλκίμȣ, ut alium vocavit Suidas in v. Ξάνθος, & conjunctim citavit Marshamus in Canone pag. 500.

b. In v. Καΰστριος. Καΰστρός ἐστιν υἱὸς Πενθεσιλείας τῆς Αμαζόνος, ὃς ἐν Ασκάλωνι ἔγημε τὴν Δερκετώ. καὶ ἐξ αὐτῆς ἔσχε τὴν Σεμίραμιν, ἥτις καὶ τὰ Βαβυλώνια τείχη κατεσκεύασεν.

c. Ατρακτον.




ENDYMION Latmius LVNAM e cælo deducere amoris causa creditus

ENDYMION.



ABULARUM lepori quum omnia demus, locus videtur poſcere hunc Deucalionis, qui & Hellena aviæ fratrem nuncupat, pronepotem, ut recenſetur ejus proſapia ab Apollodoro lib. 1. Hunc vero illæ fabulæ tantum non conſecrant, certe celebratiſſimum tradunt ob ſolum ſomnum per annos continuatum, quum forſan unus omnium fuerit vigilantiſſimus. In hoc igitur præclaro marmore ſtratus humi, pedo ad latus poſito, jacet Endymion Aethlii filius ex Calyce, utque lecti ſedem ſcias, dicunt in altero ejus fine montana juga Latmi montis ab pecudibus calcata cum adſidente paſtore, altero ſtante; ut ipſum præfectum quendam gregis regii fuiſſe cognoſcas, quieſcentem, dum iſti obſervant, omnino tranquilliſſime inter multos vigilantes, & ne nunc quidem experrectum, nedum tempore Ciceronis. Nec id mirum: adſtat enim illi & alia figura tenens, ut videtur, papavera quædam ſoporifera, & ſomnus, ut puto, alatus vim ſimul ſuam illi inſpirans & allucens (quod faciunt quoque varii Cupidines) Lunæ de curſu ſuo ad illum ſpectandum & admirandum (etſi Cupidinum ille comitatus velit etiam de amore, quem nonnulli tribuunt Somno, aliquid cogitari, ſaltem de oſculo audivit M. Tullius) degreſſæ, ipſo Latmi montis genio coronato hederis & bene comato ſtupente adventum Deæ, quaſi per noctem ipſe etiam modo jacens dormiviſſet, in cubitum erecto. Sic dormienti contigit Endymioni, quod quartus Imperator Romanus impetrare precibus nequivit. Hæc fabula poſtquam ab Philoſopho impetravit, ut ipſe quoque ejus meminerit, exinde ſic obtinuit apud poetas, ut nullus non eam tetigerit: hinc venuſte agere ſe poſſe exiſtimarunt eruditi, ne vulgo quidem omittente eam immiſcere loquelæ ſuæ; hoc ſpecimen artis ſuæ amaverunt cælatores, ut docet hoc marmor *ab Sandrarto publicatum*, & alterum in muro carceris Conſtantinopolitani, qui a ſeptem turribus accepit nomen, ubi ipſa etiam Dea facem tenere traditur. Sed & hujus memoriam gens Æmilia nummo ſacravit, ſi in hac parte aliquid valet ſententia mea, quæ certe validioribus nititur fundamentis, quam aliorum prorſus inſcite ad alieniſſima trahientium arbitratus: quod quum ma-



joris operis eſt, nunc nummi appoſuiſſe ectypum ſufficiet. Hinc quoque licet mons Latmus, ſemper inde laudatus, locum ſtabilem huic clariſſimo nomini in Caria adtribuat; tamen quam non veritæ ſunt aliæ gentes ad ſe id trahere, præcipuo ſtudio Peloponneſi, & in hac Elidis & Spartæ? Cicero autem cur tantopere incertum ſtatuerit ævum ejus, ut ex ſua perſona dicat *Endymion neſcio quando in Latmo obdormivit*, certe vel ex iis quæ jam dicta ſunt, nempe de quarta generatione poſt Deucalionis diluvium, conjecturam facere potuit, vel ex eo, quod filius ejus Ætolus ab Salmoneo expulſus fuerit Elide, ut ita proxime ante Salmoneum & ipſum Æoli filium, Hellenis nepotem, vixerit.


LACEDAEMON HEROS
Vrbis cognominis conditor.

LACEDÆMON.



UNC incipiente Peloponneſo urbibus ornari ſimul & appellationibus regionum diu manſuris diſtingui, etiam pars Cretæ obverſa ſortita eſt utramque gloriam, & quidem ſi antiquitatem audimus, non fabuloſam modo, ſed & hiſtoricam, ab hoc Lacedæmone. Quid referant de origine ejus fabulæ, notum ſatis. Higinus & alii facile matrem patremque edunt, ac præcipue Hellanicus, ex cujus Atlantiade ſtemma Lacedæmonis contexuit Henr. Valeſius ad Harpocrationem pag. 140. Sed & ad hanc effigiem, *quam ex nummo vetere produxit*, in quo literæ ΛΑΚΕΔΕ, *Caninus* ſtirpem exſequi voluit. Verum præſtat cum Marmore Arundelliano hactenus eum noſſe, ut circa hos annos Eurotas & Lacedæmon dicantur *in Laconica regnaſſe*, *regnante Athenis Amphictyone* [a]: quum certe ab hac ætate cœperint nomina iſta illic audiri & frequentari. Interim & Acriſium ejus generum facit Scholiaſtes Apollonii Rhod. IV. 1091. Omnia autem hic apparent perantiqua, ſive incultam frontis auſteritatem reſpicias, ſive galeæ ſimplicitatem, forſan ab hoc inventore per Peloponneſum progreſſæ, teſtante etiam Plinio VII. 56. galeam Lacedæmonios reperiſſe, cui deinceps diſcriminis vel ornamenti cauſa aut formam mutaverint, aut aliud quid addiderint alii, unde Argolicam galeam memorat Higinus fab. 173. quam acceperit Diores, & Bœoticam Ælianus III Var. Hiſt. 24 [b]. Nec ſane multum ab hoc vultu diſcedit nummus M. Aurelii, in cujus averſo latere Sagalaſſus urbs coronat Lacedæmona, ſane imperatorio



Romanorum habitu ſubornatum, ut illum ſuſpicari etiam audeas; ſed quum ipſa vox ΛΑΚΕΔΑΙΜΩΝ adſcripta certum quendam denotet, & quidem barbatum, ſi utraſque nuperas Speciminis editiones ſequamur, quum Triſtanus plane glabras malas exhibeat, non poteſt dubitari, quin intelligatur populus Lacedæmonius ab populo Sagalaſſenſi coronatus, ex more, cujus eximium ſpecimen præbet Polybius lib. v. cap. 88 ſcribens principes Syracuſanos ere-

P xiſſe

a. Λακωνικῆς βασιλεῦσαι βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Ἀμφικτύονος.

b. Κράνος Βοιωτουργές.

xiſse ſtatuas in Rhodiorum Digmate, coronatum populum Rhodiorum ab populo Syracuſiorum [a]. Quo alludit Dio Chryſoſtomus, dum in Rhodiaca ex infami more mutandarum in ſtatuis inſcriptionum ſcribit privari honore ſuo *non privatos modo, ſed etiam reges & quoſdam populos* [b], quorum ſcilicet ſtatuæ coronatæ ab populo Rhodio propter veterem amicitiam aut beneficia ſtabant. Hunc morem refert præclarus ille nummus, in conditore ipſum populum ſignificans, eumque coronari ab altero oſtendens; non modo duarum inter ſe civitatum fœdus ſive conſenſionem [c], ut ſignificare cenſuit Harduinus pag. 129 Numm. Illuſtr. Ne dicam in Triſtani nummo ramum palmæ teneri ab Lacedęmone, non haſtam.

a. Στῆσαι ἀνδριάντας ἐν τῷ τῶν Ῥοδίων Δείγματι, στεφανούμενον τὸν Δῆμον τῶν Ῥοδίων ὑπὸ τοῦ Δήμου τῶν Συρακοσίων.

b. Οὐκ ἰδιώτας μόνον, ἀλλὰ καὶ βασιλέας καί τινας δήμους.

c. Ὁμόνοιαν.




BEROE VENERIS FILIA
a Neptuno amata et capta.

B E R O E.



NTER insignes memorias urbis clarissimæ in Syria Beryti, quas ex variis nummis edidit *Vaillantius*, hæc mihi præcipue memorabilis fuit visa, quam huic corpori admiscerem, utpote creditam & signatam ab ipsis incolis sub Elagabalo, primordiorum fidem manifeste tradens, uno Nonno in Dionysiacis hanc sculpturam adfirmante: si nihil aliud, ut appellationem Beroes perinde in vetusta Syria quam in Europa circa Peloponnesum & Thraciam & Illyricum usurpatam ex hoc exemplo discamus. Est autem hæc Syriaca fabula plane similis Peloponnesiacæ de Amymone, quæ narrante Higino missa fuit a patre aquam petitum; & quum Satyrus violare vellet, Neptunus invocatus & superveniens illum ita abegit, ut ipse eam contrectaret: utque beneficio voluptatem remuneraretur, fuscina percussit terram, ut aqua profflueret, unde fons exstitit Lernæus. Ad eundem modum videmus hic puellam, ut videtur, & moris fuit, cum hydria aquatum egressam, non ad fontem, flumenve, sed ad mare (id enim indicat Neptunus maris dominus, quum fontibus fluminibusque sui præsiderent Genii & Minores Dii) postquam posuit genu ad hauriendum, repente arripi ab Neptuno; plane prout apparet, inopinantem trepidantemque, ut sic solent numina introduci adstantia, quæ venire & appropinquare ignorabantur. Ita scilicet Deorum fictores illi commenti sunt, quum in mare lapsa & submersa fuisset. Ac forsan propius aliquid validiusque hic etiam latet. Nam quum litigent hodie viri docti, utrum etymologiam Stephani admittant, qua ille ad puteum, Phœnicibus Ber appellatum, retrograditur, an Beryt, quo notetur robur; plane hæc ipsorum traditio videtur Stephani sententiam stabilire. Nam & ipsa nympha Beroe appellata fuit, & hoc nomine primum fuit usa ipsa urbs, ut non duæ syllabæ Beryt in etymologia, sed una tantum Ber considerari debeat. Itaque forsan etiam procumbit in puteum, quem ipsa popularibus monstravit opitulante Neptuno. Ille enim est, qui dat fluvios & hujusmodi lacus, & aquarum naturalium receptacula, aufertque, quum pluvialis aqua veniat ab Jove, perinde ut Pausanias libro II. notavit Neptunum [a] Argivis iratum abscondisse aquam, & propterea nec Inachi aquam, nec ullum ex fluviis præterlabi, nisi pluente Jove. Hunc videretur monstravisse [b] non procul a mari, sed in quem dulcis aqua per arenas instillaretur: unde adeo gloriatos fuisse Berytios innuit inventione puteorum, quam rationem Danaus inde edoctus transtulerit in Græciam, teste Plinio & aliis.

a. Ποσειδῶνα.
b. Ἀφανίσαι τὸ ὕδωρ, καὶ διὰ τοῦτο, οὔτε Ινάχου ὕδωρ, οὔτε ἄλλος παρέρχεται τῶν εἰρημένων ποταμῶν, ὅτι μὴ ὕσαντος τοῦ Θεοῦ.



DANAVS
clypeum Iunoni sacrum præferens.


DANAUS.



AD hanc ætatem referendus mihi videtur *nummus hic Argivorum Goltzianus*, in quo Lud. Nonnius cernebat Jovem ſedentem cum clypeo & lituo, ſive ille ſtatuendus eſſet Lariſſæus, cujus in arce Lariſſa quondam culti memoria ſervatur, ſive Meilichii ac Mitis, cujus ſimulacrum Argis conſpiciebatur ob exſtinctam ſeditionem erecti. Quæ fortiter & perquam ingrate potuit deſcribere Harduinus, quum tamen ſint alieniſſima, nihilque in eo nummo ſit, quod ad Jovem pertineat, præter virilis forma. Scilicet Jupiter totus nudus collocari debebat cum clypeo. Itaqua ut bene inſpexi, cenſui excellentiſſimum eſſe monumentum ſolennitatis Argivorum, quæ dicebatur Aſpis ex Argo [a], ut appellatam diſerte ſcribit Higinus fab. 273. ex emendatione Meurſii in Græcia Feriata, qui tamen illum propterea erroris arceſſit, ſed injuſte. Nam certe ita appellabatur, perinde ut alia certamina appellabantur uno vocabulo, ſic hæc per illam deſcriptionem, ut tum ex Gruteri inſcriptione illic ab Meurſio citata, tum ex altera recenſione ludorum in marmore Oxonienſi, atque item Megarenſi apud Jac. Sponium tom. II Itinerarii p. 483. ubi [b] paulum mutat ejus auctor, indubitate conſtat. In quorum ludorum inſtitutione quantum Danao debeatur, non meis, ſed verbis Higini referam ex fabula 170. *Hypermeſtra Lynceum ſervavit: qui, cum Danaus periſſet, primuſque Abas ei nuntiaſſet* (atque ita primus regem ſalutaſſet) *Lynceus circumſpiciens in templo, quid ei muneri daret, caſu conſpexit clypeum, quem Danaus conſecraverat Junoni, quem in juventa geſſerat; refixit, & donavit Abanti, ludoſque conſecravit, qui quinto quoque anno aguntur, qui appellantur Aſpis ex Argo. e quibus ludis curſoribus corona non datur, ſed clypeus.* Hinc juſtiſſime ut præſes illius ſacri fingebatur ab Argivis Danaus, Heros vocatus ab Pauſania lib. x. incurvatum ad ſpeciem litui (cujus forſan & hinc origo venit, ſi tamen perite ſatis in nummo ſpectatus fuit,) baculum altera manu gerens ad auſpicia ſua illis ludis præbenda vel etiam terris, altera clypeum femori innitentem prætendens, &, unde conjecturæ meæ auctoritas magna & omnino ſatis certa venit, inſidens ipſe Argolicæ galeæ, de qua modo diximus. Hanc enim plane illi eſſe pro ſedili ipſa forma clamat, ut ita in uno iſto nummo ſimul veterem ſuum heroa, ſimul nobiliſſimum ſacrum, ſimul inventionis genticæ gloriam Argivi conjunxerint. Et certe dignus erat hic magnus vir magno etiam ad poſteros honore, tum in memoriam hiſtoriæ ex Higino prolatæ, tum quod ab ejus filia ſtirps regum Argivorum, tum etiam quod cum illo prima navis, illa celebris pentecontorus, ex Ægypto in Græciam veniſſe ferebatur, ut notabat Chronicon Arundellianum, ſcribens [c] ut illic aptiſſime ſuppleri decerno.

a. Ασπὶς ἐξ Αργυς.
b. Τlὼ εἰς Αργος ἀσπίδα.

c. ΑΦ ΟΥ ΝΑΥΣ ΠΡΩΤΗ ΜΕΤΑ ΔΑΝΑΟΥ ΚΑΙ ΑΛΛΩΝ ΕΞ ΑΙΓΥΠΤΟΥ ΕΙΣ ΤΗΝ ΕΛΛΑΔΑ ΕΠΛΕΥΣΕ.





ATYS

Amore Cybeles nobilitatus.

A T Y S.




CIRCA hoc tempus ſacra Matris Deum Phrygiam implere cœperunt, ut colligere licet ex ejuſdem marmoris Chronico, quod ſtatuit tunc etiam ſimulacrum Matris Deum [a] *apparuiſſe in Cybelis*, nempe delapſum de cælo, & præſenti divinitate monſtrata cultui accolarum deſtinatum. Quæ idcirco Pauſanias intelligere videtur ſub appellatione montis Agdiſtis, ubi & ſepultum hunc puerum ſcribit, & ad ejus radices poſitam urbem Peſſinunta [b]. In quibus cærimoniis quum magnam ſolennitatem haberet Atys, fœcunda mox & Romæ hiſtrionibus & deinceps irridendi materia doctoribus certæ veritatis, ad hunc articulum ætas ejus revocanda eſt, & hæc figura huic loco inſerenda. Eam enim propius conſiderans judico nimis delicate factam eſſe, quam ut quenquam alium Phrygia tiara inſignitum deſignet. Etiam credibilius eſt hunc Atyn, non vero alium, gemmæ annuli inciſum & religioſe geſtatum fuiſſe ab aliquo ſacrorum iſtorum ſocio, ut in reliquis numinibus egiſſe conſtat veteres. Etiam cornu copiæ perpetuo florens tenet aſpicitque imaginem ſui ipſius, cui datum erat ab Jove, neque putrefieri aliquid in corpore, neque liqueſcere [c], ut notavit idem Pauſanias. Eſt igitur hic ille Atys cum Phrygio capitis tegumento conſpicuus,













S quod

a. Φανῆναι ἐν Κυβέλοις.
b. Πεσινοῦντα ὑπὸ τὸ ὄρος τὴν Αγδιστιν, ἔνθα τὸ Ατυν τεθάφθαι λέγουσι.
c. Μήτε σήπεσθαί τι τοῦ σώματος, μήτε τήκεσθαι.


quod illi ſemper impoſitum finxerunt antiqui, quum Mater Deum amore ejus correpta [a] & alia omnia indulſiſſe illi, & ſtellatum impoſuiſſe pileum dicatur, ut ait Julianus oratione v. ad maxime ſublimia hanc allegoriam trahens. Super hæc prætendit cornu copiæ in altum cum nonnullis fructibus, ex quorum figura ſatis confirmari videntur hæc verba Juliani ibidem poſita [b]: *Stirpium ſeminibus veſci interdictum eſt nobis: fructibus & oleribus uti permittitur, non humi repentibus, ſed quæ a terra in ſublime tolluntur.* His ergo denotandis optime videtur convenire cornu illud copiæ. Sed quidquid ſit, quum tanti putaverit Marshamus, ut Chronici canonis pag. 131. ipſam Deam per nummorum literas enumeraret, in quibus unum indicat cum adſtantis hujus pueri imagine; mihi certe non minus jucundum fuit ipſum ineptiæ ordinem & varietatem infauſtorum apparatuum oculis ſpectare. Itaque ut ea, quæ nobis manent, ſolennia in hoc Atye perciperentur, collegi ſex alia vetuſtatis monumenta, quæ in præcedentem paginam conjecta vidiſti, in quibus præter ipſum cerneretur etiam pinus, & tympanum, & flagellum, & fiſtula vel cicuta, & ipſum hoc noſtrum Copiæ cornu, licet retentum ab ipſa Cybele, utique tamen adſtante hoc adoleſcentulo. ut ne dicam ipſum braccatum.

a. Τάτε ἄλλα πάντα ἐπιτρέψαι αὐτῷ, καὶ τὸν ἀστερωτὸν ἐπιθεῖναι πῖλον.

b. Ἀπηγόρευται μὲν ἡμῖν σπέρματι χρῆσθαι διὰ τοῦτο φυτῶν· ἐπιτέτραπται δὲ χρῆσθαι καρποῖς καὶ λαχάνοις, οὐ τοῖς χαμαιζήλοις, ἀλλὰ τοῖς ἐκ γῆς αἰρομένοις ἄνω μετεώρως.


MIDAS
Rex Phrygiae .

MIDAS.



Non tantum in hac relatione de Atye plerumque ſolet interponi mentio Midæ, ſed is ipſe etiam a nonnullis ut conditor religionis Peſſinuntiæ celebratur. Hinc iſtud nomen rite nunc appello. Ille enim ſolers Magnæ Matris famulus ab Acdeſti animum formoſiſſimi juvenis alienavit, & ut ipſi mallet aut certe fœmineæ ſorti applicari, effecit, adeo ut filium inde Matris Idææ dixerit Higinus. Ab eodem dicitur rex Mygdonius, ab Arnobio Peſſinuntius, ab Claudiano Mæonius, ab Pauſania Ancyræ conditor; ut potentiſſimum eum Principem olim fuiſſe merito colligat Ammianus, ſive ex Theopompo, ſive ex ſeſe. Eſt enim narratio anceps. Non aliter Priamus apud Servium dicitur imperaviſſe & Phrygiæ & Mygdoniæ. Nec diſſentiunt alii, quum etiam Iſaacius Tzetzes ad Lycophronis Alexandram illuc referat fabulam de aſini auribus, quaſi nomine eo colles duos ab latronibus inſeſſos expugnaverit, & multas Thraciæ partes ſubegerit. Itaque & Phrygiam illam opimam & magnam [a] obtinuiſſe eum ſcribit Stephanus: & Macedoniæ portionem ei adtribuit Juſtinus. Sive hic ſit alius, uti videtur, ſive idem, quem ab Orpheo initiatum multi referunt, unde utique magnus titulus illi nomini accedit. Unde mirari nemo poteſt, tantæ famæ regem etiam ſequuto tempore ab quibuſdam Phrygiæ civitatibus fuiſſe honoratum, ita ut moneta effigiem ejus ſacrarent, quum poſtea auctores Alexandri Expeditionis urbem Gordium ſic ſtatuerint maximopere ab ſe celebrari, ſi proderent fuiſſe nobilem Midæ regiam; etſi chronologia velit diſtingui, & hos duos agnoſci diverſos, non eundem. Exſtet igitur ſecundo ſpectantis favore etiam hic Midas Rex, qui cum Sileno tam artificioſe ſermocinatus fuit, ut res naturales & antiquas interrogando cognoſceret, notante Servio ad ſextam Eclogam; pileum Phrygium, quod tam ſacrum in Atye tempore ipſius venerabantur, capite gerens. In quo id notari meretur, quod quum Cl. Sponius, prout exhibemus, ita primus edidiſſet, paulo poſt exſtiterit vir doctus, qui parum emendate id ab eo factum arguerit, & hinc aliud ectypum ediderit, quod hic additum cernis. Ubi eſt animadvertenda



T diffe-

a. Καλλὼ ϗ μεγαλὼ.


differentia ſupremi apicis, qui ſane eſt amplior in hac emendata editione, & circumflectitur longe majore gyro; non ſecus ac ſi illuc alludentem innueret Ovidium de Mida aures eductas extractaſque jam gerente ſcribentem lib. XI.

——— *Magnoque onerata pudore*
Tempora purpureis tentat velare tiaris.

Et tamen paſſim Atys, & Paris, & ipſe Mithras, & Phryges illum ſupremum conum non ita rotundant, ſed aut injectum incondite pileo reliquo geſtant, aut brevius habent & correptum. Non ſecus ac ſi diverſitas hæc inter Phrygiæ reges ac ſubjectos obtinuerit, ut Reges ſic amplo orbe incurvatum majeſtatis inſigne geſtarent, ut apud Perſas erat cidaris recta. Sic igitur ſpectetur ille in Priamo dein ab maximo vate celebratus *ſacerque tiaras*. In alterius vero lateris circulo quum exſtent literæ.. IECCEΩN, ita ut ante illas aliæ perierint, invidiſſe æruginem ait Sponius, ne ſciremus urbem, quæ cudebat; alter in forſan nunquam futurum nos differt. Itaque delibera, an fuerit ΘYECCEΩN. Hujus populi ſub Tito nummum vidit Goltzius. Stephanus autem notat; *Thyeſſus, urbs Lydiæ, accentu acuto terminanda, ab Thyeſſo caupone. Eſt etiam Piſidiæ. cujus gentile Thyeſſenſis* [a]. Hæ regiones ſunt Phrygibus propinquæ, imo ex teſtimonio Strabonis Phrygum & Lydorum confinia vix diſcernenda & in ſe mutue incidentia [b]. Sed & aliam memoriam ejus hic ſpectandam præbui.

a. Θυεσσὸς (neſcio unde Harduino placeat Θύεσσος) πόλις Λυδίας, ὀξυτόνως, ἀπὸ Θυεσσοῦ καπήλου· ἔστι καὶ Πισιδίας· ἧς τὸ ἐθνικὸν Θυεσσεύς.

b. Τὰ Φρύγια καὶ τὰ Λύδια δυσδιάκριτα, παραπίπτοντα εἰς ἄλληλα.


GANYMEDES
Iovis amorem meritus.

GANYMEDES.




ÆC quidem ante Dardanum. Itaque ne parentes quidem Atyos memorantur. Meliore fato & decorem formæ ſortitus fuit alter Phryx puer, & per eum advertit cæleſtes, ita ut magnus & ſummus horum omnium Rex amorem ejus conciperet, fieretque Cupidinis colluſor teſte Apollonio Rhodio lib. 3. Itaque & integer in cælum ſublatus eſt, non poſt ridiculos caſus in terra prius exantlatos, & nulli non Deorum acceptus niſi rigidæ Junoni, nectar dominicum temperavit. Manſit etiam honos loco ſignatus per ipſam raptus notationem non procul ab Cyzico, quem Harpagia nominarunt Græci, niſi iſti urbi hanc narrationem dubiam feciſſent Chalcidenſes in ſuo agro Harpagium memorantes; perinde ut alii non Jovem, ſed Minoa raptorem ſtatuerunt. Sed hæc jactatio dos eſt fabularum. Hinc magna ejus per terras fama, multa in ſaltationibus ſcenicis oſtentatio, mirifice aſſidua in poetarum jocis mentio, ut etiam laſcivas pincernarum delicias appellatione eadem citare gauderent; denique ad ſculpturarum argumentum grata & opportuna cauſa: qualem hanc videmus, quæ omne ejus fatum complectitur. Nam & Jupiter aquila hic apparet, & puer ſecurus calicem porrigit crateri etiam inſidens, patriam tegumento capitis confeſſus. Eſt igitur hic Ganymedes, ut formoſiſſimus, ſic nobilitatis præcipuæ, quam undique imagines regiæ majorum & ſequentium illuſtrant, ad quem velut depoſita feritate raptor inſidians accedit tentaturus ſecuritatem ejus, ut poſt paulo eum ſubrependo invadat. Hoc ipſo habitu depictum quoque videmus in nummo Ilienſium, niſi quod in eo totus nudus, ſi ab tiara diſceſſeris. Alii



 viden-

videntur innuere familiaritatem progressam adeo, ut ipse Ganymedes ultro inscendere non fuerit veritus, ut probant proxima duo specimina, in quibus collum aquilæ ad latus stantis, dextra, sed diversis partibus manum ad innitendum insigens, circumdat. Quod etsi Achilles Tatius lib. II. dicat puerum ex unguibus pendentem [a], & inde ab viro summo increpentur pictores qui aquilæ inequitantem faciant, patet ex his speciminibus, etiam ex antiquitate nonnullos ita concepisse: neque enim de veritate eorum licet ambigere, quum sint inde sumpta. Sed liquide tamen ex unguibus pendentem referunt hæ tres sculpturæ, discrepante omnes positionis ac retentionis ingenio, prout Leochares fecit aquilam, sentientem quid rapiat in Ganymede & cui ferat, parcentem unguibus etiam per vestem, notante Plinio lib. XXXIV. cap. 8. quam vestem vides in Caniniana & nostra majore *ex Museo Romano petita*. Sed in his discrepari non magis mirum est, quam ab aliis communiter poetis cernimus discedere Homerum, qui non ab Jove, sed ab Diis raptum scripsit, ut Jovi esset a poculis, quod notarunt olim & postea Grammatici.

a. Μειράκιον ἐξ ὀνύχων κρεμάμενον.


MARSYAS
Corio detrahendo ad truncum ligatus.

MARSYAS.



A MIDA, ut & ab Atye, ſi adhibemus Diodorum Siculum, ſeparari Marſyas non debet, quæcunque etiam fabulandi incuria has duas appellationes conjunxerit, an notitiam ætatum confuderit? Neque tamen præclari facinoris ſplendore meruit nominari, ſed ſupplicio & documento, ne quis rem ſibi male perceptam promitteret. Hic enim Oeagni filius quum ab patre aliquam ſcientiam inflandi tibias accepiſſet, peritiſſimum Apollinem provocans credebatur ad hunc modum ſuſpenſus fuiſſe ab arbore pinu, ut degluberetur, quod & factum fuiſſe traditur. Et quis fabulam non novit? Hanc igitur ſculpturam ad id narrationis priſcæ genus elegi, quæ nondum pelle detracta eum vivum verumque oſtendit, tum quia ſic ſolebant opifices illum exhibere, teſtante Achille Tatio lib. III. *qualem faciunt fictores Marſyan ex arbore ligatum* [a], nempe acriter extentum, perinde ut illic iſte puellam *reclinans ſupinam vinciebat ex clavis in terram depactis* [b], certe non incurvatam; tum quia & verbo Græco, quod ſuſpendere [c] notat, utitur Apollodorus in hac fabula: denique quid deſiderem in gemma ab Leonardo Auguſtino prolata, aperui ad Gorlæi dactyliothecam part. I. num. CXI. Quæ ut porro a nobis conſideretur, videmus in ea pendere aliquid alligatum ramo, quod Auguſtinus accipit pro duplice Marſyæ tibia in modum tropæi, ut ſane tibias ſemper pronuntiat Higinus, & Apollodorus ſua Græca voce [d]. Equidem has potius colligeremus ex Gorlæano ſchemate, quam Leonardi, in quo videntur utique non eſſe rectæ, ſed flaccidæ, ut omnino ſi ita ſit in ipſa gemma, appareat eſſe lora, vel quibus Marſyas ante pellis detractionem a Scytha cæſus fuit (ſic enim interpretor Martialem, dum dicit X. 62. *Cirrata loris horridi Scythæ pellis, Qua vapulavit Marſyas Celæneus*, non quaſi Martialis ab aliis excoriatum dicentibus diſceſſerit, & modo flagellis cæſum prodiderit, ut cogitaverunt nonnulli) vel quibus ille os obligavit, ne nimio flatu ingratam monſtraret faciem in cantando, quod ejus artificium & inventum fuiſſe docet Plutarchus in de Ira cohibenda, *capiſtro quodam & oris vinculis ſtreperum iſtud ſpiritus cohibuit, & faciei exornavit abſconditque inæqualitatem* [e]; quod repetens in libro VII. Sympoſiac. ſcribit *capiſtro & tibiis os ſibi obturans auſus eſt ſolo & nudo cantu certare cum cantu & cithara* [f]. Et ſic quidem aut Græca fabula in eo riſit, aut de eo nar-

a. Οἷον ποιοῦσιν οἱ κοροπλάθοι τὸν Μαρσύαν ἐκ τοῦ φυτοῦ δεδεμένον.

b. Ἀνακλίνας ὑπτίαν ἔδησεν ἐκ παττάλων κατὰ τῆς γῆς ἐρηρεισμένων.

c. Κρεμάσαι.

d. Αὐλούς.

e. Φορβιᾷ τινὶ καὶ περιστομίοις τοῦ πνεύματος τὸ ῥαγδαῖον ἐγκαθεῖρξε καὶ τοῦ προσώπου κατεκόσμησε καὶ ἀπέκομψε τὴν ἀνωμαλίαν.

f. Φορβιᾷ καὶ αὐλοῖς ἐπιστομίσας ἑαυτὸν ἐτόλμησε ψιλῷ μέλει διαγωνίζεσθαι πρὸς ᾠδὴν καὶ κιθάραν.

ravit Græcia. In hac tamen vult nos credere Servius Marſyan per civitates in foro poſitum libertatis indicium eſſe, qui erecta manu teſtetur nihil urbi deeſſe. Certe nec Athenis id obtinuit, nec manibus vinctis potuit ſtetiſſe. Romæ ut circa Roſtra haberet ſtatuam, fortuito accidiſſe opinor, non reſpectu taciti indicii, quod vel ad libertatem vel ad juriſdictionem pertineret; niſi quatenus litigator temerarius punitur ad illius exemplum, aut inde ab poetis captaretur occaſio ridendi illius cauſidici. Sed ſub Nerone videntur plures ei poſitæ ſtatuæ fuiſſe non manu erecta, ſed bene vincta ad adulationem Neronis, ut recte Leon. Auguſtinus, ex quibus hæc forſan una; quam exprimi curavi *ex ædibus Vallanſibus*, unde ſic ediderunt: ſed & in Mediceis ſervari intelligo hanc ita depictam. Quod autem dixi *Oeagni* filium, ideo feci, quia ſic



videtur reſtitui debere in Higino ſab. CLXV. pace doctorum hominum, qui ſcripturam Higini ab codicibus monſtratam ſervatamque *Oeagri* non decenter ſpectant, quum corrigunt *Hyagnis* vel *Hyagni*, quia ſic aliis ſcriptoribus dicitur. Nam y vel ſimplex i ſæpe confunditur cum OE, ut quod alii per y dixerint, Higinus pronuntiaverit, certe ſcripſerit per OE, quod pluribus demonſtrari poſſet ex Higini ipſius manu. Quin etiam Apollodorus videtur olim vocaſſe ΟΥΑΓΝΟΥ ΠΑΙΔΑ, non ΟΛΥΜΠΟΥ, ut male editur.




TITYVS
Saxo apud inferos diſtrictus, et iecinore vulturem paſcens.

TITYUS.



ANC Apollinis gloriam comitetur ejuſdem irritati altera ſeveritas & letalis ira adverſus Tityon, ut vere dicam, fabularum quaſi diſſidium. Hic enim ſeu proceritatis arrogantia elatus, ſeu incontinentis libidinis victima, utique creditus Jovis filius & Terræ, auctore Homero, (quum Latinus poeta alumnum modo vocans videatur crediditſſe Elaræ filium, certe dederit Servio cauſam notandi de Terra nutrice ejus exiſtimata,) etiam Latonæ illius matri imminere auſus fuit, propria cupiditate incertum an Junonis impulſu. Quem idcirco ab alio vix ſuperabilem ſagittis confecit, aliis tamen adjutricem præbentibus Dianam, Higino etiam Jovis fulmen admiſcente. Neque tamen vita ſpoliatus ſatisfecit iræ cæleſti: quin ſecuta procacem quoque ad inferos effecit, ut jaceret extenſus ad paratos ſemper vulturis, ut alii plus quam unius, ut vero alii, ſerpentium etiam unius aut plurium, morſus ac laniatus, præſertim jecur appetentes. Quin etiam ne opus eſſet mirari, durare illud in perpetuam pœnam, quod negare ſuſtinebat Lucretius, non modo ſi novem jugera [a] diſperſis membris obtineret, *ſed ſi terrai totius orbem*, principem vatum adiuvit omnis multitudo poſterorum, finxitque propterea repleri & renaſci identidem, ut nunquam deeſſet, nunquam conſumeretur. Hoc opportune invento etiam omnes in ſpatio novem jugerum perſtiterunt, quæ Raderus ad Martialem confert ad nongentos pedes. Hinc in theatro inferorum ſpectant eum aſſidue poetæ; ut mirum non ſit exercuiſſe quoque artificum in ſculpendo manus, quorum hoc unum reſtat ſpecimen *in collectaneis Antonii Labacci*, cujus auctor & vulturem ſtatuit & unum ſufficere credidit Virgilium non ſpernens. Jam Athamantis & Inus tempore jacuiſſe eum ſignificat Ovidius libro IV Metam. Nos hæc duo exempla punientis Phœbi conjunximus ex imitatione Apollodori lib. I. tanto juſtius, quod licet hic circa Pytho contigiſſe id ſcribat Tityo, tamen hiſtoria velit hunc dominatum fuiſſe circa Panopen ab Panopeo, Phoci filio, Æaci nepote conditam, ut in tempore liceat aliquid remittere.

a. Homerus πέλεθρα dixit.


PERGAMVS
Arcis Trojanae Conditor.


PERGAMUS.



Dum hæc loca peragimus, videtur inde vix diſcedi poſſe, niſi pariter hic collocaverimus illuſtre & ante ſæcula ex his regionibus ortum, & non ibi modo ſemper vigens, ſed & in extera terrarum ſpatia ad arcium altitudines deſignandas propagatum nomen PERGAMI, quod domeſticum & proprium in arce Trojana fuiſſe teſtantur concordes omne, qui eam nominaverunt. Hujus antiquitatis penitiſſimæ recordatio patrocinetur huic heroi, qui idem nomen tulit, ſi credimus aut nummis aut gemmis. Non enim tutum erit huc aſcendere, ut ex eo derivatum id nomen ſtatuatur ad arcem Trojanam velut ab conditore ſic appellatam; quum non tiara illi adſit, ſed diadema, etiam magis ad Græcam lenitatem ſerenitatemque accedens vultus, quam tunc deprehenduntur. Itaque in nummo urbis poſt Trojanum bellum conditæ repertum & ab *Fulvio Urſino*, quamvis & alibi habeatur, *collectum* hic reponimus, unde Pergameni jactitarunt & originis & appellationis ſuæ fluxiſſe fontem. Non poſſet tamen penitus abſurdum videri, ſi quis crederet ipſos illos Pergamenos etiam ad Trojana Pergama, & ſi quis exſtiterit eorum iſto nomine auctor, reſpexiſſe, tanquam fruentes gaudenteſque illo nomine, quod per tot ætates in vicinia obtinens, poſtea deletum, in ſe denique fuerit renatum & permanens. Alteram ejuſdem, ut creditur, effigiem ex gemma annulari vulgavit Caninus, quæ ſenectutem graviorem præferens hic quoque conſpici meretur. Et fors fuat, ut hæc ipſa imago ſit, quæ oſten-



ditur in nummo Commodi nuper publicato ex gaza Regis Galliæ, quæ parum diſtat ab altero Card. Carpegnæ; in quo utroque quum exſtet caput nudum & apertum, non intelligo nuperam rationem affingentis ei pileum & Galenum contemplantis. Egregie vero conveniunt Galenus & Androcles, illuſtrantque idem tempus & eundem nummum. Certe ille verius Telephum exprimeret, Pergamenæ urbis conditorem ex Arcadia colonis ductis, ut ſervavit iſtam memoriam Ariſtides.






INO CVM MELICERTA
marini Dii futuri

INO CUM MELICERTA.




TEMPUS eſt regredi in Europam, & Cadmidarum collocare fata; in quibus vel præcipua eſt Ino non tantum ordine naſcendi & hinc ſerie narrandi, quam ſervant auctores & imprimis Higinus, ſed etiam intemperie inſita, qua muliebribus ſtimulis acta incendit annonam univerſæ regionis, oraculi fidem corrupit, etiam privignis vacuefacere Athamantis Orchomenii, ut voluere multi, domum cui innupſerat concupivit; immo & felicitate fortuita, quod Baccho contigiſſet nutrix, ut hoc marmorei vaſis vultu deſcribitur, quod addi meretur, quia ſedet in eo Ino. Hic ubique deus ex machina, tam mariti Athamantis, quam privigni Phrixi manibus eripiens, ipſamque prætexto bacchationis in Parnaſſo cuſtodiens, etiam Themiſtus inſidias diſcutiens, denique laſſatam varietate diſcriminum ſeque in mare præcipitantem cum filio Melicerta in numina retulit accedente Jovis favore, cui videtur devoviſſe filium ſuum, ut colligimus ex altero nummo Corinthio ſub Domitiano. Aliter enim iſte nummus explicari debet, quam placuit Vaillantio, vel













partis I. pag. 201. ubi illum exhibet, vel partis II. pag. 386. ubi expoſitionem iſtam corrigit. Non eſt Neptunus: adeſſet enim fuſcina. Imo ſedet Jupiter & quidem in Acrocorintho, ad cujus pedes mare eſt, ex quo evecta per delphinum offert commendatque Jovi filiolum, ut parvum aliquod numen daret; non ſecus ac forſan illo tempore Auguſta filium Domitiani commendavit Diis, ad quam adulationem videtur ille ab Corinthiis tunc cuſus. Ut vero locus,

unde ſe dejecit ipſa etiam ideo dicta Lycophroni Byne vel Dyne [a], Moluris petra [b] ab Pauſania ex ſermone vulgi, ut notarunt alii, dici traditur, quum Stephanus fateatur Geranian eſſe montem inter Megara & Corinthum, unde deſiluit Ino fugiens Athamantem [c]: ita ſcribit ejus ſcholiaſtes eductam eſſe circa Corinthum ad Schœnuntiam ab delphino [d] Vix liquide dixero, an in noſtro monetæ Corinthiæ geſtu exprimatur Ino ſupra Moluridem petram pede uno conſiſtens, Melicerta perterritus extendens manus verſus matrem: neque enim mater ita rectum filium pedibus tenuerit. Videtur potius moneta illa exhibere ſtatuam ejus iſto habitu locatam in illa quacunque petra, cujus manui dextræ ſic impoſita erat icuncula Melicertæ. Luſerunt in hoc Melicerta Corinthii, quorum hos etiam nummos quatuor laudabilis eruditorum labor nuper produxit, ut jam & Inus aqua [e] auſpiciumque ejus & majeſtas deorum apud Corinthios, feſtumque apud hos ſimul & Megarenſes affatim illuſtretur.

a. Βυών in Alexandra pag. 22. & 121. cui ſcholiaſtes addit ἢ Δυών.

b. Μολυρὶς πέτρα.

c. Γεράνειαν εἶναι ὄρος μεταξὺ Μεγάρων καὶ Κορίνθου, [illegible] ἥλατο Ἰνὼ [illegible] τὸν Ἀθάμαντα. Apparet partes Scyroniorum ſaxorum vicinas his appellationibus diſtinctas fuiſſe.

d. Ἐξῆχθαι περὶ Κόρινθον πρὸς Σχοινουντίαν ὑπὸ δελφῖνος.

e. Ἰνῶς ὕδωρ.



TMOLVS HEROS
Vinearum in Lydia inſtitutor.


TMOLUS.



TIAM ab Mida hic Tmolus ſeparari nequit, quum is fuerit ab hoc adſcitus in conſortium arbitrii de peritia Apollinis & Marſyæ in canendo, ut refert fabula Higini CXCI. quod ut illi peſſime ceſſit, ita hic ſapientiſſimus judex ipſis oculis, ipſa tota fronte perſpicaciam quandam & ſolertiſſimam aciem præferens, etſi diſcrimen illius judicii maximam partem conſiſtebat in auribus, ſcienter de Mida litem dedit. Quid inde contigit? Utinam in hac fabularum parte Bacchum & Apollinem pro eodem contemplari liceret, ut in multis ſacrorum ac rituum gentilium ſolennibus cum Macrobio pro iiſdem habent viri doctiſſimi! Certe quum Apollini æquitatem exhibuerit, ab fratre ejus Baccho honoratus videtur fuiſſe peritia inſtituendarum vitium, quas etiam illa Lydiæ portio tam grate accepit, ut monti vicino nomen ejus induerit, perinde vitibus in edita parte amicto, ut eſt hoc caput, & cum Liberi hilaritate longævitatem uſque ad centum quinquaginta annos producente, ut teſtatur Plinius. Id enim colligi videtur ex fabulationis contextu, qua & auctores de illo talia referunt, ut vineta & Bacchi munera in eo agnoſcant poetæ & univerſa ſcriptorum veterum cohors, & Tmolitæ caput ſui herois pampineo vinculo honoratum oſtendunt; nihil ad Apollinem, quaſi ne videretur ſpe aut pollicitatione doni corrupiſſe arbitrii ſanctitatem. Et Faber quidem ad Urſini imagines ait Sardianos percuſſiſſe nummum, quum hodie viri docti hunc Tmolum nonniſi ex Tmolitarum [a] nummo oſtentent, incolarum ſcilicet non ipſius montis ſolum, ſed etiam oppidi in illo ipſo monte, in cujus latere Plinius ponit Sardes: neque enim dubitare etiam nunc licet oppidum fuiſſe, etſi de eo nimis dubitatum fuerit.

a. ΤΜΩΛΕΙΤΩΝ.





AGAVE
inter bacchandum occiso Pentheo filio ululans.

AGAVE.



LTERA Cadmeis fuit nomine Agave, quam furibundam prorfus afpice. Hanc enim ex Echione matrem Penthei, Liberum Deum non agnofcentis, infania bacchationis inftinctam, fabulantur occidiffe filium, membratim laniando, Ovidius, Higinus, & omnes alii; itaque hujus vecordiæ intemperantia magnopere placuit in fcena, plurimis tragicis Penthea docentibus, ne Martiali quidem omittente hinc arripere jocum in Antiochum rudem & cruentiffimum tonforem, ut vel ad matrem Pentheus fugiturus fit, fi ab ifto radendus foret XI. 84. Cæterum quod omittit Higinus nec ita perfequi in illa fimplici narratione potuit, egregie poeta in fine libri III. magni operis exhaufit & explicuit.

—— Vifis ululavit Agave
Collaque jactavit, movitque per aera crinem;
Avulfumque caput digitis complexa cruentis
Clamat, io, comites, opus hæc victoria noftrum eft.

Singula profecto, quæ in his Ovidii verficulis fpeciatim annotantur, ad amuffim fere exhiberi patet in hac figura quafi ad eorum exemplar comparata, quam produxi ex quadrata urna, *publicata ab Jac. Sponio in Mifcellaneis pag. 29.* Ille autem quod unicuique fatis offertur, mænadas quidem cernere illic potuit, dubitans, quid illis nominibus, quæ infcripta funt, cum fæminis iftis fuerit. Sed non funt hæ quotidianæ mænades, (ne quidem vel fi effe ex fcelerato Bacchanali ignobilis Græci Romam atrociter corrumpentis fupponas, de quo Livius lib.39.) nec quoties fanaticum caput jactarent, utique extollebant ruptas aut præcifas alicujus cervices. Hoc fingulare & memoratum Bacchici inftinctus fpecimen fuit, quod five heredibus urnæ hujus ornamenta curantibus, five ipfis, quorum cineres texit, præ reliquis in mente hærens placuit ad fpectantium animos commovendos illic incifum oftentare. Neque huic relationi fidem demit, quod vel thyrfo occifum vel membratim difcerptum narrent plerique omnes, quum in hoc geftu gladio id factum fignificetur. Equidem fabulæ plerumque aliquam partem variant, & utique ab Horatio accepimus *caput abfciffum demens cum portat Agave*, appofite ad hoc fpectaculum.


ZETHVS ET AMPHION
Dircen punientes.

ZETHUS, AMPHION & DIRCE.



HUIC ætati adnectunt fabulatores initia & ortus geminorum fratrum Zethi & Amphionis, quos ex Antiopa conceptos Jupiter pater in terris voluit esse illustres, ut videre est apud Higinum fab. VII. & VIII. Itaque ante omnia pietatem colentes, matri a Lyco tum rege exactæ e matrimonio, opem tulerunt: nec satis; etiam Dircen, si non matris pellicem, certe quæ illi subnupserat, quum insultantem & infestam pateretur, ulcisci statuerunt. Quam denique mirifico & raro necis genere dicuntur trucidavisse, crinibus alligatam fero tauro in frusta lacerantes; cujus tamen sic quoque memoria in honorem cessit, ut credebant Bœoti, voluntate Liberi, cujus bacchationibus & ipsa operata fuerat, nomine Dirces translato ad fontem Cithæronis. Hanc narrationem manu & scalpro exhibere quondam voluit insignis architectus, cujus opus hodieque Romæ visitur hac forma. Nec dubites in dignoscendis singulis. Distincte enim lyra supposita designat eminentem & celeberrimum, solitumque aurea cithara strepere [a], ut scribit Apollonius Rhodius lib. I. sive Musæ sive Apollo eum ista donaverint, Amphiona, ut adeo alter sit ille robustus & trucis ferocisque roboris [b] Zethus, funere ligaturus Dircen; quum ab altero Amphionis latere appareat Antiope, assidente forsan ac dejecto Lyco. Hos deinde, quum Thebas Heptapylas condidisset Cadmus, ut loquitur Higinus fab. CCLXXV. aliam ejus partem circumcinxisse usque ad Semedustum scribit idem fab. IX. ut quidem legunt illic codices MSti, & editiones priores. Quam vocem considero, ut eruditissime compositam sive ab ipso Higino, sive ab alio ipse fuerit imitatus. Sed viri docti nunc eo usque auferuntur, ut non modo probent conjecturam quorundam *Semelæ bustum*, (quum Barthius vellet *Semeles bustum*) sed ita quoque contextum ipsum componant. Quod prorsus non video qui tolerari debeat. Etenim an mirum est in tali composito syllabam intercipi? Utique ΕΡΦΟΡΙΑ dicebantur nonnullis, quæ alii pronunciabant ΑΡΡΗΦΟΡΙΑ [c]. Item an litera d non infinitis vocibus & maxime compositis fuit olim inserta? Docent complura exempla ab illis, qui origines vocum scrutati sunt, collata. Certe Thebis non fuit ita insignitus locus, quasi apud Italos essent busta Gallica; aut Romæ bustum Julii Cæsaris. Semele conflagravit in thalamo, ubi solebat excipere Jovem. utrum is fuit in monte Cithærone, an in arce Cadme-

ja?

a. *Χρυσέῃ φόρμιγγι λιγαίνειν.*
b. *Αλόγυ ἀνδρίας.*
c. Simili modo dicebatur *χέρνησος χερρόνησος*, *ἁρματροφία*, aliis *ἁρματοτροφία*, *δάσκιον δασύσκιον*, ut Romanis *pulmentum* ex *τῷ pulpamentum* & alia.

ja? In Cithærone ſepulchrum [d] fuiſſe Semeles novi. Utique & buſto nihil eſt cum ſepulchro, & Cithæron non tangit muros Thebanos, etſi prope ſit. Pauſanias egregie ſervavit pag. DLX. ſuo tempore Thebanos noviſſe locum, ubi domus Cadmi fuerit, etiam monſtrare Harmoniæ thalami rudera, & Semelæ [e]. Id ipſum ab Higino dicitur Semeduſtum ſatis ingenioſe ficta voce; quum nec vere buſtum ibi eſſet, & tamen Semele illic eſſet uſta. Itaque ſic hos etiam urbe Thebarum condita inclitos videtur pro Geminis habuiſſe opifex pictor, cujus Arateorum figuras edidit Ill. Grotius, quum & Amphionem inſigniat lyra, & Zethum referat clava ſuccinctum & haſta.

d. Sciunt viri boni *τάφον* vocari ab ſcholiaſte Euripidis: id *μνῆμα* dicitur ab Pauſania pag. 566. Sed & in Statii quarta Thebaide eſt: *reliquias etiam fuſæque ſepulchrum Pellicis.*

e. Θαλάμων δὲ ἀποφαίνουσι τοῦ τε Ἁρμονίας ἐρείπια, καὶ ὃν Σεμέλης φασὶν εἶναι.


SILENI AC DIONYSIACÆ PERSONÆ

PERSONÆ BACCHICÆ.



Sic itaque & ipſi viſimus illa tot averſantium ſuppliciis, tot majeſtatis exemplis, tantis rerum geſtarum miraculis ſtabilita Bacchi Orgia, quibus hæc ætas fuit defixa & devincta. Viguit per omnia Græciæ oppida veneratio illius tanquam numinis & ΔΙΟΝΥΣΙΑ ubique calata ſunt. Quum vero ſolus ipſe obire omnia non poſſet, comitatu excellenti ſe fecit inſignem ſatyrorum ac ſilenorum. Hæc luſibus & jocis apta cohors cum præſide ſuo nominari nequit, quin pariter cogitetur ſolemnia iſta univerſa conſtitiſſe in rebus ridiculis & hilaritatem feſtivam excitantibus, inter quæ vel præcipue numerari debent ΔΙΟΝΥΣΙΑΚΟΙ ΑΓΩΝΕΣ, qui cantabantur ſaltabanturque per Dionyſiacos artifices [a] hinc quoque appellatos, omnia vocabula Bacchum denotantia & per Bacchum introducta, mox comœdiarum præcipuo nomine adſumpto, quum excogitatæ primum eſſent in loco Atticæ Icario, ſi credimus Athenæo, cujus Græca verba [b] citantur ab Iſ. Caſaubono in eruditiſſimo ſcripto & ad hanc materiam pertinente de Satyrica poeſi, ubi omnia iſta exhaurit. Hinc & in Dionyſiis vel Bacchi feſto ſingulatim agnoſcebatur rhapſodorum feſtum, ad quod ſinguli accedentes Deo inſtar honoris offerebant rhapſodian [c], ut inventori ſcilicet artis ipſorum, & duci gregis tam lepidi, ut poſteritas vix potuerit ſatis ingenioſa eſſe ad ridiculas eorum ſimilitudines effingendas. Quare debui ad notam temporis etiam his larvis ſcenicis locum dare, per quas tantopere potuit delectari magna humani generis portio, & certe doctis ſcriptoribus multam ſuppeditaverunt materiam: præſertim quum & in Lafreriana Urſini imaginum editione collectas & propoſitas repetierit quoque Bellorius. Apparet hic perſona ruſtica vel paſtoria, ſed juvenilis & nondum barbata, pinu circumdata cum cicuta & pedo: jacet altera ad ludibrium revincta mimica, quam Urſinus aliquando credidit eſſe faciem ipſius Theocriti, quum vera ab eo nondum reperta eſſet, quia Fauni, ut ſcribit, caput pinea fronde coronatum, pedum, & ſyrinx paſtoritia, quæ omnia ad Bucolicos poetas pertinent, adjecta ſunt. Sed vere eſt perſona ſacerdotis, ſæpe in comœdia ad Pamphili nuptias adhibita, & idcirco albente vitta habens velata tempora. Eſt tertia ſileni aut amari contractique & ſimi cujuſdam ſenis.


a. Διονυσιακοὺς τεχνίτας.

b. Ἡ τῆς κωμῳδίας καὶ ἡ τῆς τραγῳδίας εὕρεσις ἐν Ἰκαρίῳ τῆς Ἀττικῆς ἐγένετο.


c. Ῥαψῳδῶν ἑορτὴ, ἐν ᾗ παριόντες ἕκαστοι τῷ Θεῷ οἷον τιμὴν ἀπετέλουν τὴν ῥαψῳδίαν.




ΚΑΛΛΙΣΘΕΝΗΣ, ΛΥΣΙΜ
CALLISTHENES. LYSIM



PERSONÆ BACCHICÆ.



NE quid pereat ex conſpectu vetuſtatis, ſequutus exemplum Urſini, appono alteram tabulam ſimilium larvarum emblematibus variegatam, etſi dubitem, an apud omnes fidem ea ſit repertura. Ita enim diverſas jam olim hæc peperit cogitationes, ut eis conciliandis omnino non ſim. Præcipuus enim in his perite ſpectandis quem citavi, Urſinus huic tabulæ quondam hunc titulum appendit: *Calliſthenes Lyſimachi filius Athenienſis, poeta Comicus, natus patre Schoenoploco, id eſt, reſtione, Schoenion ipſe, hoc eſt, funiculus appellatus eſt, quod comœdiarum ſcriptor fuerit ... Ejus comœdias aliquot citant Athenæus & Suidas, quamvis corrupte apud utrumque Callias pro Calliſthenes nominetur.* Hæc voluit confirmare Jo. Faber, ſed verbis, ac voluit tantum & tentavit, quum rebus nihil ultra proficeret. Bellorius tamen hanc ſententiam Fabro imputat, quum certe pateat Urſini totam eſſe. Alius arcanum hujus tabulæ ſub Calliſthenis philoſophi & Lyſimachi nuper explicare tentavit, quod ſatis ex habitudine corporis, quam philoſopho illi fuiſſe teſtatur Plutarchus, quem citat, refutat Caninus ad tabulam 47. (etiam num.103. plures larvas referens) & ut ſunt, ita exiſtimat illam utique (nam de juvenili nihil pronuntiat) veram eſſe larvæ ſpeciem, nec veri hominis vultum referre. Calliſthenes autem nomen fuit uſitatum inter Græcos, quo illic potuit appellatus fuiſſe vel marmoris faber, vel ille, cujus ſumptu id poſitum fuit forſan alicubi in Bacchi templo, vel, ut conjectat quodammodo Bellorius, hiſtrio, qui larva hac in ſcena uſus feliciter, tanti fecerit, ut eam tali monumento conſecrarit adſcripto nomine ſuo. Certe larvam eſſe clamat ipſe projectus barbæ, quæ non ex naturali ſitu pendet libera, ſed in anteriora ita immodice promittitur, ut artificioſum aliquid prorſus ſupponat. Id quod ideo notari a me debuit, quia Caninus id non ſatis obſervavit; paulo melius attendit Theod. Gallæus in Urſini editione Antuerpiana: ſed ut barbam rite expreſſit, ita pro rotundo capite oblongum paravit, unde ſimile eſt in Homerica apotheoſi. Sed ut verum habeamus aſpectum, retrocedi oportet ad Lafrerianum exemplar anni MDLXX. Etiam Lyſimache potuit fuiſſe ſaltatrix, ſicut eo nomine ſacerdotem Minervæ prædicat Plinius. Adjacet tertia larva corrugati & adſtricti vultus & ad jocum pilis undique obducti.



PERSONÆ BACCHICÆ.



SED neque tertiam hanc contemnere potui ab Bellorio pariter editam, ubi non modo tres larvæ exhibentur, celato tamen loco, ubi tam nobile monumentum exſtet; ſed alia etiam ſane notabilia. Et ab editore quidem exiſtimabatur *tragœdus ſive comœdus, ſive quis alius vates in proſcenio aut orcheſtra ſpectatus, brachium dicentis geſtu protendens, volumenque carminum manu tenens*; *e conſpectu hujus poetæ ſtantis alter* (mox vocat *comœdum larvam intuentem*) *ante menſam ſedet, nudata ſuperiori corporis parte, pallioque ad crura demiſſo, manu tenens larvam e menſa detractam, quam intuetur.* Sic ille, quaſi ad præſentem ſcenæ apparatum ſpectaret. Verum ſi bene conſideres, vidètur illic ſedere ſcenicus actor ad partes ſuas, quas in volumine aperto & dependente ex abaco ſcriptas perlegit, idoneam & convenientem eligens larvam, quod nec in orcheſtra nec in proſcenio fieri ſolitum recte ſupponetur; ſed neque illic locus abaco cum perſonis. Scenæ forma ex ratione picturæ longe hinc remota conſpicitur, inter quam & hominis erecti ſtatuam nulla eſt proportio. Figura autem quæ erecta ſtat, non videtur virilis, ſed fæmina, partes etiam ſuas cognoſcens vel recenſens vel addiſcens ex volumine quod tenet. Fæminam eſſe indicat veſtis tum tota, tum in humero dextro aperta, ſed adſtricta monili; itidem comptura capitis. Interim agnoſco egregium ſchema veteris ſcenæ foreſque in ea toties pulſatas in Terentianis fabulis: eidemque ſcenæ a latere appoſitum pali inſtar ſymbolum, in cujus ſuperiore parte tabula quadrata, cui impoſitum eſt volumen: in quo, ut bene obſervatum aliis, inſcriptum & auctoris & fabulæ nomen ſignificabatur: adſtant præmia vincentium patera & cratera. Sed ne quid in hoc genere poſſet ab hac collectione deſiderari, huc quoque advocare volui illud exemplum, quod Caninus tab. 16. jure ita conſervatum & cognitum voluit.







NIOBE

filiam ab Dianæ ira defendens.

N I O B E.



T istud quidem factum fuit Amphionis adolescentis, ut diserte scribit Higinus ex Euripide fab. VIII. Sed eundem fabula refert mox ætate constituta duxisse Tantali ac Diones, ut nonnulli volunt, filiam nomine Nioben, quam hoc loco conspici non procul ab marito oportet. Ista igitur fæmina occasionem fæcunditatis, qua XIV. liberos ediderat, pro superbia arripuit, maxime contumeliosa in Latonam & hinc ejus liberos; ut videtur, non impediente marito, quod mirum, quum testetur Higinus eum jussu Apollinis Thebas muro circumcinxisse. Unde divinitus punita & in liberis orba dedit longum poetis ludibrium, quasi in monte Sipylo mutata in lapidem, post exutum hominem pergeret tamen manare lacrimas: quod Eustathius ad Dionysium explicat vere fuisse promontorium, procul visentibus offerens faciem muliebrem, unde perennis scaturiebat aqua. Hinc placuisse id argumentum statuariis probant tot marmora Romæ filias filiosve quosdam ejus exhibentia & præsertim istud nobilissimum omnes simul complectens cum Diana & Apolline desuper sagittis petente, unde hanc partem decerpsi ut maxime notabilem, qua Niobe

— — — — formosa movensque decoro
Cum capite immissos humerum per utrumque capillos,

occisis tredecim, quartam decimam solam restantem, toto corpore

Tota veste tegens, unam minimamque relinque;
De multis minimam posco, clamavit, & unam.

Apparet omnino eruditum statuarium hos Ovidii versiculos in oculis habuisse, quum matrem & filiam hoc in gestu produceret. Nec erit extra oleas, alterum ejus versum in illa ipsa Niobe prorsus desperatum paternaque & Heinsiana manu certatim frustra tractatum nunc quoque attigisse, qua inclamat ipsa Thebanis suis

Ite satis propere sacris, laurumque capillis
Ponite. — — — — —

Nam quum in eas literas conspiret codicum veterum concordia, missæ faciendæ sunt conjecturæ hinc multum discedentes. Quum e melioribus nonnulli MSS. habent *properate*, certum indicium est literam a intermixtam fuisse; sed primam syllabam in τῷ *sacris* contraxit nunc æque Ovidius, ac in libro XIII. *spem quoque fata sinunt,*

 sacra

ſacra & ſacra altera patrem Fert humeris . Item quum pro *ſatis* habent quidam *ſacris* , ſimiliter firmum indicium eſt literæ r in illa voce latitantis . Hinc igitur Nioben dixiſſe exiſtimo poeta interprete

Ite aris propere ab ſacris , laurumque capillis
Ponite ; deponunt , & ſacra infecta relinquunt .

Perſpicue obediens Thebanarum voluntas reſpondet reginæ juſſis , quæ ſatis manifeſte in priſca lectione aperiuntur . Eſt Taciti in libro XIV. annal. *Iret propere , duceretque promptiſſimos ad juſſa* .




BELLEROPHON
Chimaeram expugnans.

BELLEROPHON.



T Cadmi nepotes jam vidimus; differre ultra non oportet nepotes Siſyphi. Hunc & cupivi & ſane in animo habui manifeſtum ex nummo præbere. Et dignus erat. Sed nequivi mihi ſatisfacere hactenus. Hunc enim Cadmo æqualem per multa memorabilem gentibus fabulæ tradiderunt ac poetæ, quorum ingenia nota. Verum non exigua claritate adſperſit nepos ejuſdem ex Glauco & ipſo per importatam illi ab equis lacerationem inclito Bellerophon. Ille vero ex circumſtantibus identidem periculis, partim virtute, partim majeſtate Deorum mollientium eos, qui videbantur crudelius in illo conſulturi, exemptus vel maxime inclaruit imperio Jobatæ regis Lyciæ, quo fabuloſam Chimæram a media caprina parte appellatam, quum reliqua ab leonis corpore incipientia deſinerent in caudam anguibus aſperatam, trucidare fuit juſſus. Perfecitque non ſine numine, quod quum illa ex adverſo & in æquo ſubigi nequiret, ſubmiſit illi equum alatum ex Meduſa & Neptuno procreatum, & ab Minerva antea domitum, ut volunt fabulæ; ſed in quo domando ipſum vires & artem adhibuiſſe, certe ſic crediſiſſe alios, docet vel hic Corinthiorum nummus ex Patino petitus, vel hæc ſculptura ab



Pignorio publicata ad Cartarii imagines, ubi tamen ille Mercurium videt. Ergo ſalva ſit gloria optimo Bellerophonti, quippe qui etiam primus equo vehi docuerit ex præconio Plinii lib. VII. Quibus additum alterum nummum ex Goltzii Græcia deſumptum nemo ægre ferat, quo placuit Corinthiis venditare non ſermone tantum, ſed & monetæ ſpectaculis hunc civem ſuum & decora ejus; quo de genere eſt illud majus circa Julii Cæſaris tempora percuſſum, & in coloniis ſub illo ductis poſuit Vaillantius.



PROETIS
belluinâ libidine incensa.

P R O E T I S.



AD hæc tempora referendum videtur notabile monumentum insulæ Peparethi, hoc quod vides, jamdiu publicatum, sed ad nullam intelligentiæ publicæ commoditatem, ab Goltzio in Græciæ insularum nummis. Adeo plane non potuit id percipere Nonnius, per hæc verba hæsitationem suam posteritati testificans. *Quid sibi nummus hic velit, dubius sum. nam mulier videtur a posteriori corporis parte in bovem mutata. An Io est, quæ inter Jovis amplexus in vaccam mutata, importuno Junonis adventu?* Equidem nescio unde didicerit inter ipsos amplexus sic mutatam illam fuisse. Celeriter credo dimisisset Jupiter. Et mire talem cogitavit concepitque Jovem, qui inter ipsos amplexus placitissimam ipsi puellam passus sit in bestiam mutari. Sed nimirum ubi vacca apparet, prorsus de Io cogitari oportet, non secus ac ubi puella insidet tauro, Europam supponi fidenter vidimus. Atqui quum Cretenses colonos insedisse eam insulam ostendat ipse Nonnius se novisse, cur non etiam de Pasiphae aliquid jecit? Itaque quum id sit omni genere ridiculum, vidi tamen non sine stupore, etiam ab Harduino Jovem dici in his nummis insculptum, & Io mutatam in vaccam, ceteraque qualia ab Higino describuntur. An ergo Higinus dicit ita inter amplexus mutatam? an quum dicit ille *Hanc Jupiter dilectam compressit*, istum Jovem exhibet iste nummus? Voluisset sane Inachus filiam suam videre hactenus mutatam. At Io penitus in vaccam collata fuit, non parte tantum posteriore: & ut maximus poeta testatur,

> —— —— *supplex Argo cum brachia vellet*
> *Tendere, non habuit, quæ brachia tenderet Argo,*
> *Conatoque queri mugitus edidit ore.*

Itaque eruditam memoriam fabulæ de Proeti filiabus furentibus [a], ut vocat Plinius, & in belluinam libidinem concitatis, nummus ille servat, quas egregie in unius exemplo ostendit implevisse agros mugitibus, ut Virgilium interpretem adhibeam, sed, quod addit, falsis, quum retinuerint nobilissimam partem humani corporis. Id etiam ira Junonis accidisse notavit illic ex antiquioribus Servius. Sed ut raro fabularum una fides est, semperque gaudet intervenire quædam diversitas, Bacchum alii inscribunt huic pœnæ, ut videre est in Apollodoro. Par disconvenientia est in exitu, ut quum alii dicant ab Melampode, seu vate notissimo, seu pastore, unde Melampodium herba manserit, expiatas & restitutas, Callimachus tamen ab Diana refectas testetur in hymno in

 Dia-

a. Μαχλοσυνῶ esse Hesiodi de illis vocem notavit Svidas.

Dianam, cui propterea duo templa etiam Prœtum celebrat erexisse. Quid quod nec Æsculapius hinc potuerit abesse? Reliqua collecta ab Lexicographis sunt pernota. Hujus Prœti uxor erat Stenobæa tantorum malorum Bellerophontis tantum quod antecedentis origo, ut recte ad temporis seriem nunc filiæ ponantur, quarum mater in Bellerophonte præmissa erat.



PERSEVS excipiens ANDROMEDAM
trucidato monſtro marino.

PERSEUS ET ANDROMEDA.




ARUM Prœtidum fratrem Megapenthem , notum Higino, Apollodoro, Iſacio Tzetzæ ad Lycophronem aliiſque , confirmavit in regno Argivo Perſeus; ſed ab eodem poſtea occiſus ad ultionem patris Prœti ab illo ipſo Perſeo interfecti, ut eſt apud eoſdem . Unde colligitur iſtius Perſei ætas ; cujus propterea quum ſuperſit hoc perilluſtre monumentum , enimvero id proxime ſequi debet . Variæ ſunt diſperſæque & magnificæ res ab Perſeo geſtæ ; ſed quibus explicandis hic locus non eſt. Cæterum ante omnia cantatus paſſim Mercurii in eo ac Minervæ favor, præſertim quum Gorgonis capite potiri deberet. Unde feliciter revertens & urbem Syriæ Joppen quoque prætervolans, incidit in hoc pœnale Andromedæ ſaxum . Hæc enim urbs eſt, quæ non modo jactavit hanc ſuæ antiquitatis memoriam, ſed reliquias facti poſteris oſtentari ab ſe poſſe voluit ad alligandam fidem. Inde ſaxis inciſa, inde tabulis ſæpe picta hæc vetuſtiſſimi facti celebratio ubique circumferebatur , adeo ut vix eam commodius enarraverim , quam verbis Achillis Tatii libro III. tabulam Peluſiacam Evantheam declarantis. Vides enim monſtri marini caput, quo ſolo eminuerat ex aqua, (in quo egregie annotatur ingens mandibularum rictus & penitus hians uſque ad ipſam humerorum juncturam [a] etiam cirri vel branchiæ unius exſtans elevatio [b]) præciſum & enectum jacere ad pedes rupis, unde deſcendit Andromeda & ipſa pulchritudinem a matre acceptam referens , jam ſoluta vinculis ferreis ; ex ferro enim fuiſſe teſtatur particulatim Iſacius Tzetzes [c] , unde forſan & catenas appellavit Ovidius. Apparet etiam laxiſſima ſtola, quam albam in pictura ab Evanthe datam hic quoque ſupponi oportet , ſubtiliſſimi ſtaminis & teretia aranearum orſa fere æquantis , ut ſericam facile ſuſpiceris . Adeſt Perſeus, qui inſignis capite ac pedibus alatis , totus nudus , chlamye tantum humeris obvoluta [d] pulcherrimo facinore jam peracto, manum illi auxiliarem fulcientemque ſubminiſtrat. Nobiliſſimus Vir Andreas Marmora in nummis Corcyrenſibus putat quoque ſe videre Perſeum, quod judicet ſpectator.

a. Γένυς πολλὴ καὶ μακρὰ, πᾶσα ἀνεῳγμένη μέχρι τῆς τῶν ὤμων συμβολῆς.

b. Φολίδος ἔπαρμα.

c. Ποδήρης χιτὼν, λευκὸς ὁ χιτὼν, τὸ δὲ ὕφασμα ἀραχνίων ἐοικὸς πλοκῇ.

d. Γυμνὸς τὸ πᾶν, χλάμυς ἀμφὶ τοῖς ὤμοις μόνοις.


MINOS
Cretae & Inferorum aequiſſimus.
Iudex.


MINOS.



NIMIS diu ferme rejeci hunc celebratiſſimum heroa, utique ſi poetas & quoſdam eorum æmulos audiamus, ad Europæ ætatem trahentes; quippe ea matre ab eis cenſetur. Sed commodum accipiet hunc locum, ſi æqualium ejus in Græciæ continente chronologiam contemplemur, in quibus palmam tenet Theſeus, ad vergentem Minois ætatem ipſe juvenis accedens, quum pater Ægeus fuerit æqualis & hoſtis. Itaque ſpectetur nunc ille ſine dubio præcipuus ſæculi ſui, belloque & pace clariſſimus. Hujus leges erant, propter quas Creta viſebatur, tam juſtæ, ut vel ipſo Jove auctore dignæ haberentur, illam frugalem & auſteram vitam in uberrima inſula fundantes. Nec ſufſecit ſanctiſſimo heroi vitam Cretenſem ita purgatam conſtituiſſe; tranſmarinis eandem felicitatem dare affectavit. Hinc tanta navium longarum illi copia, ut ſi non primus, quod ſtatuerunt tamen multi, certe inter primos dominio maris excelluerit, virtutemque ſuam tum continenti Græciæ, tum inſulis per mediterraneum mare ſparſis affatim approbaverit, non tolerans piratas. Neque enim fas eſt, ut ad Moſen in eo ſpectandum & vaſa Ægyptia per Hebræos ablata Minoi inde adferatur macula, unde abhorruit vel maxime. Certe non aliunde fieri potuit, ut per alias aliaſque regiones, terra ipſa tantum non gaudente, exſtiterint tot Minoæ, ſive oppida ſive loca ab ipſo vel militibus ejus poſita, inter quas ipſam Creticam in Stephano a me reparatam monſtratamque non invitus vidi grate alios agnoſcere. Sed neque mari tantum ac terra libentibus id triumphale nomen ubivis inclaruit; ad ipſos inferos illud penetravit, ita ut juſtitiæ religio & ſacratæ urnæ æquitas huic commiſſa prodatur. Nec inter multa ejus opera minimum recenſeri oportet, quod tres in ipſa Creta urbes quoque condiderit, ſed Gnoſſum feliciſſimo quidem omine, ut hanc ejus imaginem ex tanta vetuſtate per nummos ſervaret, vultu non ſolum tam venuſto, ut in eo ardere Megarica Scylla potuerit, ſed etiam placatiſſimæ moderationis indice, & quem Gratiis in Paro litaviſſe etiam credas.

a. Μίνω πρῶτος Ἑλλήνων ναυτικὴν δύναμιν ἀξιόλογον συστησάμενος ἐθαλασσοκράτησε, ait Diodorus Sic. lib. IV. de quo agit Iſ. Caſaubonus ad Polybium.





CYDON
Conditor Urbis Cydoneae.

CYDON.



HUIC Minoi ante omnia adnectere oportet urbis in Creta celeberrimæ & reliquarum matris conditorem, si non publicis privatisque mœnibus, at nomine istum, quem *ex Thesauro Palatino & nummo recepi*, Cydonem. Non enim soli Baccho, cujus faciem in hoc clypeo vident alii, fuit attributa & destinata hedera. Placebat illa etiam aliis, sicut opinor huic Cydoni eam adfinxisse Cydoneatas ob diversas, quas subjiciunt antiqua monumenta, causas & satis eas justas. Bacchum hic sibi imaginari tanto est indecentius, quod vix in tota Creta Bacchum repererit Jo. Meursius; nedum ut tam conspicuo in oppido honorifice adeo salutaretur; etsi in libri secundi capite nono satis multa habeat de vindemia Cretica & vino. Quin etiam ΔΙΟΝΥΣΟΣ ΚΡΗΣΙΟΣ non in Creta notus & cultus fuit, sed in Peloponneso circa Argos apud Pausaniam. Itaque quum Miletus ab illis fuerit signatus in nummo, quæ invidia est, ut ab eo decore removisse credantur hunc Cydonem & a nobis ita spectari non debeat? Auctores quidem, quum consentiant in matre Acacallide Minois filia, patrem ejus edunt nunc Apollinem, ut Stephanus; nunc Mercurium, ut scholiastes Apollonii Rhodii simul & Theocriti, & ipsorum Cretensium opinio, cujus non tenue oportebat esse in hac causa momentum, apud eundem Pausaniam. Quod diffidium quum perspicue indicet inter quosdam non constitisse de vero; tum vel maxime adhibendi fuerunt ipsi Cydoneatæ, qui heroem hedera coronatum monetæ suæ insigentes statuerunt aliquid singulare: & licet Pausaniæ testimonio de reliquis Cretensibus constet, non tamen illis acquierunt ipsius urbis hujus cives. Quum enim præcipue Apollinem & Bacchum eo herbæ genere ornari solitos videamus, patet certe ab Stephano patrem verum, aut quem Cydoneatæ utique credi volebant, allegatum. Nec dubito, quin ad ejus probationem fidissimum testimonium (ut videmus certe illum in voce ΔΩΔΩΝΗ & reliquis Seguierianæ membranæ fragmentis judicio optimo usum fuisse ac fide) scriptoris alicujus adhibuerit, quo ille Hermolaus indigne nos privavit. Itaque potest solus ille Stephanus reliquis tribus merito prorsus obduci. Hujus quum crederetur filius, potuit quidem illi beneficium aliquod contigisse ab Baccho, ut vites forsan illic instituerit; sed tamen in Creta obtinuit hedera sobria, & qua Apollo ut ipse cingi voluit, ita suos cultores quoque, qui multi fuerunt in Creta, unde tot illi honores, Baccho vix ulli. Et quid mirum? quum Cretensibus quoque Pythii Apollinis oraculum memoretur apud antiquos monstrasse vinum, quod ex Palladio citat ibidem Meursius.

urſius. Hunc igitur nepotem ſuum Minos quoque elegit, quem præficeret condendæ vel inſtaurandæ urbi, permiſitque ut quæ antehac exigua vocabatur Apollonia, per illum egregie ornata, novum quoque ab eo adſciſceret nomen Cydonea.


NA
NAEVVS HEROS.

N A X U S.



SED neque hic Cydon alium ſibi adhærere patitur, quam quicum junctus ab ipſo conceptus principio paulatim per ſuos numeros & articulos crevit, ut ſimul naſcerentur. Hic eſt igitur ille Naxus, uterinus frater. Ita enim tradidere Græci, Acacallida Minois filiam variis occaſionibus celebrantes; tum ſic quoque notantes, quaſi non multum diſtantibus noctibus Apollini & Mercurio patuerit, ex quorum priore prodierit hic ipſe, ut ex poſteriore Cydon. In quo quum commenta fabulæ ſatis odoretur quiſque; tum & verum levi negotio ſecernas, in eo ſitum, quod circa idem tempus exiſtere cœpit aut nomen iſtud adepta eſt urbs utraque: quod ſicut eodem tempore contigerit, ſic quoque forſan opera Minois, quæ tamen nulla memoratur in longa apud Diodorum Siculum hiſtoria, ubi Thraces primos hujus inſulæ incolas venditat, & mox Caras duce quidem Naxo, ſed Polemonis illo filio, quem Stephanus facit Endymionis. Nonne egregia hæc eſt hiſtoria? ut duæ extraneæ gentes, utrinqueſecus & plurimum diſſitæ, prius Naxum, vere unam Cycladum, habuerint, quam ulla Græcarum gentium, quæ eam cingebant de proximo? Utrum igitur ab Thracibus, an ab Caribus primo vocata fuit Strongyle, mox Dia? Ipſæ hæ appellationes mere Græcum incolam in illis primis temporibus clamant. Et quis potuit fuiſſe ſtimulus vel Theſeo vel Ariadnæ, ut maluerint illuc circumvagando appellere, ſi nullo jure potuiſſent præſagium ſibi facere commodi & honorati hoſpitii? Dicit Ovidius,

Protinus Ægides, rapta Minoide, Diam
Vela dedit, — —

non expreſſa cauſa, ex quo eam multum debuiſſe domui Minois videtur velle colligi, ut hoſpita fieret. Diodorus lib. 4. *Ariadnen furans, noctu ex inſula Creta diſceſſit, & in Diam olim vocatam, nunc Naxum, appulit* [a]. Ne ibi quidem cauſa ulla patet. Sed in libro v. utitur verbo ΕΠΕΞΕΝΩΘΗ, unde jam apparet jus hoſpitii fuiſſe, quod illos induxerit, ut videtur, ab Ariadne & Minois domo profluens; nec enim in navigatione verſus Cretam eo uſus fuit. Quin etiam non quia fuit forſan Naxus nomen quoque Caricum tum urbis, tum viri; propterea id debuit transferri ad cognominem inſulam, & ita confundi, ut Minois ac nepotis ejus univerſa obſcuraretur memoria: præſertim quum potentia Carum viguerit ſi non

Oo post

a. Κλέψας τὴν Ἀριάδνην, ἔλαθεν ἐκπλεύσας νυκτὸς, καὶ κατῆρεν εἰς νῆσον τὴν ποτὲ μὲν Δίαν, νῦν δὲ Νάξον προσαγορευομένην. Ubi vulgo vertunt imperfecte *Ariadnen furtim abducens, noctu ex inſula diſceſſit. Tum Diæ inſulæ, quam hodie Naxum vocitant, appellit.* Unde imprudenter deductus Meurſius in Theſei capite IV. reddit *in Diam tunc vocatam*.

post bellum Trojanum, prout tamen ab aliis statuitur, utique post Minois dominationem, Naxo jam diu ante inclita. Discedant viles barbari; dignus ob hanc rem hedera aut hic Naxus, aut avus ejus Minos, quod insulam præstantissimam non ulterius permiserit sine nomine aut sine cultu jacere aquis suis incinctam.


TENVS HEROS
Conditor insulae cognominis.


TENUS.



HUJUS nominis heroa inter antiquos consecravit & unicus in scripto suo ad posteros servavit Stephanus [a], & ex eo Eustathius, ab eo notans dictam insulam Tenon in Geographica historia bene notam, vel ob alia, vel quod sita sit in ordine earum, quæ ex Europa commodam lineam & navigationem præbent in Asiam. Quum autem nihil inepti temere de Stephano possim supponere, & ipsorum Teniorum moneta heroa talem jactitet, nequivi aliud mihi imaginari, quam si non aliunde ex auctorum quoque testimoniis, certe ipsis ex insulæ nummis & opinionibus civium ab Stephano hunc produci. Horum ille, qui faciem istam signavit, Goltzio & Nonnio ignotus, nuper demum publicatus est *in Thesauro Palatino*, & pro lucro insigni adspexi. Sed interpres ejus vel ad Callistagoram heroa apud Tenios cultum vel ad Bacchum referre maluit. Harduinus quum in præcedentibus impudenter descripsisset Tristanum & Bochartum, mox notat esse nummum, in quo literæ T H cum uva, vini copiæ in agro eo indice; ex parte aversa Jovis Hammonis caput. Idem statuitur ab Sponio & Whelero in itinerariis, non sane spernendam insulæ bonitatem celebrantibus; ubi exhibent ipsum nummum, in ipsa insula repertum, hactenus diversum a nostro, quod caput non sit laureatum. Sed perinde communis hic locus est, ut capiti adfixum cornu debeat denotare Jovem Hammonem, ac mulier tauro vecta Europam. Itaque sicut hæc illis largiri licet; sic Callistagoras ille ab Clemente servatus ex Philochoro & ab Tristano citatus cur credatur, nulla prorsus causa est; & Baccho utique promissi magis capilli tribuuntur. Et cur derogabitur hoc decus isti Stephaniano Teno? Collegerunt viri docti quæ multa satis memorabilia in ista insula fuerunt vel ad ipsius ingenium spectantia, vel ad religionem, vel ad proventus frugum. An non libet credere aliquid ex eis notabile illustravisse hunc conditorem, ut ejus appellationem sibi maluerit induere, deposita vel Ophioessæ vel Hydrusæ, quam prius habuerat? præsertim quum ipsa vox ΤΗΝΙΑ notetur quoque ex Hesychii auctoritate anguem significare. Ophioessan constat vocatam fuisse ab Antimacho, sive id proprium judicaverit, sive instar adjectivi. Sed quum iste auctor non tangat nisi quæ ad penitissimam mythici temporis profunditatem pertinent; ego hunc locum illi adsignavi suspicans hoc circiter tempore eam ex vero cœpisse innotescere, quum frequentior fuit navigatio, & Scylax aliique veteres in

a. Ἀπὸ οἰκιστοῦ (quod plus notat, quam interpretabatur Nonnius incolam) Τήνου, Eustathio tantum scribente ἀπό τινος οὕτω κληθεῖσα Τήνου ἀνδρός.

ea agnoverunt portum. Equidem ſuſpicari audeo ipſos Tenios gloriatos fuiſſe hoc Teno velut filio Neptuni, cujus numen in nummis ferme perpetuo celebrarunt per tridentem; unde huic etiam Teno argumentum generis attribuerunt cornua, quem alioquin lauro diadematum honorabant. Quidquid ſit, ille utique Tenus præparavit inſulam, cujus occupandæ & inſidendæ amor poſtea ſollicitavit etiam Athenienſes, ut ex Latinis notavit Vellejus Paterculus libro I. cap. IV.


S C Y L L A.

SCYLLA.




TESTANTUR legati Locrenſes apud Livium libro XXIX. belluas immanes quondam fretum, quo Itali ab Sicilia dividuntur, ad perniciem navigantium circumſediſſe, idque fabulas ferre. In eis ſane excelluit hoc ſævum nomen. In nomine enim fere tota res conſtitit, quod accipiens Græcus ſermo, non tantum effæminavit, ſed etiam ſingulari narrationis lepore inumbravit, ut comminiſcendo apta ingenia vel ex hoc ſpecimine ſatis agnoſcas. Sed neque in unius fato permanere & conſtare ſibi fabuloſa antiquitas potuit, & Scyllam Phorci, Glauco dilectam ac Circes venenis deformatam ſolam porrigere. Placuit interim admiſcere Italicæ huic alteram Megaricam, Niſi filiam, quam alii tamen hinc repellunt, ut videtur, rectius, & illam volunt fuiſſe, cujus a media parte promicuerint corpora canina. Sic ſcilicet in freto Siculo audiebatur latratus, prout in Chelidoniis ſcopulis hirundines. In quibus ſicut clare ſpirat Græca origo, ſic cauſa nulla eſt, cur non & ipſum hoc inventum pariter & nomen vicinæ Græciæ adſcribatur. Nam quum & ipſa vox præferat aliquid caninum [a]; tum proprium Latinæ linguæ eſt, ut latratus audiatur in undis, unde ex illo vetere Attio in Phinidis ſervatur: *Ac ubi curvo litore latrans Unda ſub undis labunda ſonit*. Quod ſine dubio oſtendit imitationem Græcam, quam ſic non modo res confirmat, ſed ipſum tempus. Etenim, quum Megaricæ Scyllæ inter Græcos celebrandæ occaſionem primam motam fuiſſe pateat ab Minoe; etiam Circe, cui adtribuitur mutatio Scyllæ Italicæ, utpote Æetæ filia non procul ab Minois ætate abſuerit; hinc ſatis clare conſtat Minois navigatione patefacto primum, utique inter Græcos, freto Siculo cognoſci incœpiſſe hanc Scyllam, adeo ut etiam inde nomen acceperit, quod antiquitas fabulatione iſta ſic ornavit, perinde ut ab Columbo in Paria oſtium fluvii appellatum novimus *os Draconis*, ob periculoſum introitum. Itaque recte fabulam evolvunt antiqui latratum in undis conſiderantes, docte notante Servio ad tertiam Æneida ipſa loca plena eſſe monſtris marinis & ſaxorum aſperitatem illic imitari latratum. Nec oportet hodie immoderatam ejus libidinem ex cane circa pubem cogitare. Nec minus recte hanc Scyllam nos adnectimus ætati Minois, quam ex ipſo denario Pompejæ gentis exprimi curavi, quia in Cl. Patini Pariſina editione ſatis perperam celata eſt, magna cum inæqualitate ſingularum partium. Quum vero non canes modo, ſed & lupos fabulæ priſcæ poſteriores enarratores

 ſuppo-

a. Σκύλλον & *σκύλακα* & *σκύμνον* eadem origine de canino genere dicebant, ut notavit jam Scaliger ad Catalecta.

ſupponant, poetæ tamen in ſolis hærent canibus, quos hæc moneta videtur ſequi non niſi tres exhibens, & ipſa Scyllæ appellatio, ut patuit, illuc magis vergit. Numerus tamen eorum valde augetur in nummo Tarſenſium ſub Clodio Pupieno in regia gaza, ubi hæc ejus eſt forma.





DÆDALUS

Alas ſibi & filio Icaro fabricans.

DÆDALUS.



T multis locis ætate Minois appellationes contigiſſe probabiliter ſupponimus, præſertim eis, quæ ad mare Ægæum pertinent; ita ex conſenſu & teſtimonio prorſus omnium fabularum inſula Icarus ſuam tunc adepta fuit. Tragicus profecto ad eam rem & ambage plenus apparatus excogitatus fuit, ut non aer, non terra, non mare ab portentis ceſſaret. Origo omnium ab patre Dædalo incepit. Nec mirum: quum ipſam Minervam is accepiſſet magiſtram, unde omnia ingenio ſuo replevit. Neque enim illi ſuffecit patriis Athenis immorari, ſed in beatiſſimam & quidem ſub Minoe rege Cretam enavigavit, illam procul dubio eligens, quod ibi inprimis tunc locus eſſet artificii cum quæſtu exercendi. Sed & Ægyptum inviſiſſe colligitur ex eo, quod ad formam celebratiſſimi illic Labyrinthi narratur conſtituiſſe Cretenſem. Quin etiam porro Africam luſtraviſſe & eruditarum manuum exquiſita documenta ibidem reliquiſſe perſuadeor ex Scylacis pag. CXXV, ſiquidem interpretationis meæ illic nequit me pœnitere. Sic quum notus multis locis [a] ſit Dædalus, & fata etiam ejus noſtro Minoi ſint injuncta, & priſci artifices hanc de eo narrationem, ut videtur, maxime mirantes, tale ejus monumentum, quo acrem licet cuſtodiam Minois vir vaferrimus effugit, gemmis ad poſteritatem prodere amaverint; in hoc temporis curſu etiam jure illi locum præbui, *ex Cl. Begeri Spicilegio*; tanto juſtius, quod in re ſtatuaria tam nobilis hæc ipſa extiterit annorum notatio, ut quum antehac pedibus nonniſi junctis & manibus trunco corporis agglutinatis ſtatuæ conſierent, ab Dædalo primum inceperint pedibus liberis & disjunctis fingi. Itaque ſedet jam provectus annis, & alam fabricat, abhibito quidem marteolo, & illo ſimili Cyclopum, non aliter ac ſi vellet ſe facere ΣΙΔΗΡΟΠΤΕΡΟΝ, ut Stymphalidas aves ſolent vocare Græci; apparet tamen non hic eſſe aut fornacem aut incudem, ſed ſolummodo abacum tripodi impoſitum. Hæc illius eſt pergula. In ea vel quaſi denſat in cera pennas tundendo, vel omnibus jam in ordine poſitis denique confirmat longiſſimas. His enim videtur ultimam manum imponere vel Ovidii teſtimonio, qui *a minima cœptas* ſcribit, perinde ut hic opifex in ſculptura ordinavit; ut proinde eam videntes oculi tantum non applaudant felicibus diu auribus, quæ ex Naſoniana poeſi ſæpe id perceperant, nunc communi gaudio ſine ſatietate fruentes.

a. Ita enim loquitur Diodorus Siculus: *κατεσκεύασεν ἔργα θαυμαζόμενα κατὰ πολλοὺς τόπους.*





Ariadne Bacchum in curru ab centauris tracto considentem smilacis serto circumdat, dum liquore suo poculum adstantis implet.

ARIADNE.



SED neque Minois neque Dædali mentio moveri poteſt, quin cogitationi occurrat Ariadne. Et ubi in fabulis hæc tria nomina non habentur conjuncta? Quo minus excuſari in nobis poſſet, ſi ullum prætermitteretur; inprimis ubi patet facultas. Hanc igitur nobis gratificata eſt antiquitas & invidia temporis Ariadnen Minois filiam, non qualis vixit in paterna aula, nec qualis Theſeo Labyrinthum intranti ſuppeditavit ex Dædali inſtinctu filum, quo poſt occiſum Minotaurum relecto intricatum iſtum errorem evaderet; ſed neque qualis ab eodem derelicta Ovidio querelas triſtiſſimas ſignificavit: verum qualem Phyllis ſe eſſe optavit. *Fruitur* enim *meliore marito* ac *ſedet alta* quanquam non *in capiſtratis tigribus*. Sedet juxta Liberum Patrem, & juvenem, & propter opimas Aſiæ Indiæque victorias triumphantem cum ſolenniſſima ſua pompa ac thyaſo ſatellitum, remiſſiſſimo ad omnem hilaritatem animo ſolitos inter vina ululatus exprimentium. Ipſa capite compto & coronato vite, novum maritum, ſupinum in curru ſtratum, nec quidquam niſi ad hilaritatem vina Faunis ſuis fundentem circumdat ſmilacis ſerto, prioris fati immemor & divinos amplexus ſortita, immo quaſi jam cælum & coronam ſuam illic propediem fulſuram meditans. Ipſe autem currus non a lyncibus aut tigribus, ut dixi, trahitur, ſed duobus centauris, & ipſis ad omnem voluptatem pronis citharamque ſimul & tibias moventibus. Hic ſcilicet Bacchum decet apparatus, quo ſicut nihil ſpecioſius aut magnificentius, ita nihil ad victorias ejus declarandas & inſigniendas magis proprium judicarunt. Hæc biga idcirco attributa etiam illi fuit in aliis nummis, quos citant & colligunt viri docti occaſione nummi Nicæenſis ipſum & Iſidem ita exhibentis & ab Cl. Seguino vulgati. Hæc inde placuit etiam priſcis Regibus ac mox Cæſaribus Romanis exemplo Auguſti ipſius, quem in pulcherrima gemma ſic expreſſum olim adoravit orbis; de cujus inventi & adulationis cauſa forſan alibi.


MINOTAVRVS.


MINOTAURUS.




JAM nec huic monſtroſi leporis invento locus negari poteſt, quum is & Acheloo & Prœtidi, perinde ſemiferis tunc portentis, nuper datus ſit. Sed neque Dædalus, nec Ariadne, nomina jam poſita, nec quod propediem ſequetur, Theſeus ſine ejus memoria nominari poteſt. Utinam modo non major timor nobis denuntiaretur ab ejus labyrintho, quam illorum transformia capita præbuerunt! Nam is deſcribitur ab Higino fuiſſe *capite bubulo*, *parte inferiore humana*. Non aliter ab Apollodoro [a]. Quid quod ſimilem prorſus ad modum Diodorus libro IV. ſcribit eum ita biformem fuiſſe, ut corporis ſuperiora uſque ad humeros haberet taurina, reliqua humana [b]. Ac tamen omnes Italiæ ac Siciliæ civitatum (quæ ut habere ſe aliquid a Creta indicarent, hoc præſertim inſigne extulerunt) monetæ illum exhibent contraria mixturæ forma, ut tum ex grandiore hoc vultu, tum infinitis aliis apud Goltzium & Parutam licet cognoſcere. Mira profecto differentia, & apud utrumque monumenti genus pervicacia: tanto magis ſtupenda, quod quum Græci tam aperte eum ſermone ſuo depinxerint, Latini ſcholiaſtæ idem facere abhorreant. Hinc certe videtur eſſe, quod Servius ab librum VI. Æn. verſ. 14. ubi narrationem iſtam exſequitur, nihil aliud ſcribat quam *Unde natus eſt Minotaurus, qui intra Labyrinthum incluſus humanis carnibus veſcebatur*: etiam ad ſequentia *mixtumque genus pleroſque biformis* notet nihil. Sequuntur idem alii, adeo ut ne hodierni quidem Lexicographi ulterius procedant, quam fateantur ſe audiviſſe *monſtrum biforme*, *partim habens formam hominis*, *partim tauri*, obſcura ſane & imperfecta. Non Vegetius, non Paulus apud Feſtum teſtificantes ejus effigiem inter militaria ſigna fuiſſe, non Scaliger vel ad Feſtum vel ad Euſebium, non Stewechius, non Voſſius in libro tertio de Idololatria quidquam determinant. Illi tamen, qui nummos tractant & explicant, hunc omnibus paginis Minotaurum celebrant. Liceat hic tacere, & ſufficiat cernere Minotaurum ab aliis monſtratum.

a. Οὗτος εἶχε ταύρου πρόσωπον, τὰ δὲ λοιπὰ ἀνδρός.

b. Τοῦτον φασὶ διφυῆ γεγονέναι, καὶ τὰ μὲν ἀνώτερα μέρη τοῦ σώματος ἄχρι τῶν ὤμων ἔχειν ταύρου, τὰ δὲ λοιπὰ ἀνθρώπου. Sed nec abit Palephatus: τὴν δὲ κυῆσαι παῖδα, ἔχοντα μὲν σῶμα ἀνδρὸς, κεφαλὴν δὲ βοός.


ΚΟΡΚΥΡΑ


CORCYRA.

CORCYRA.



SED ad ſequentes annos præparari jam oportet. In quibus quum ita contigerit, ut per Ulyſſis navigationem inclaruerit Alcinous; intelligimus eundem fuiſse filium Phæacis, quem Neptuno genuerit Corcyra Aſopi filia, unde inſula idem acceperit nomen. Ex hac tertia generatione ſatis conſtat haud procul ab hoc tempore non quidem illa ſic contigiſse, ſed inſulæ iſtius notitiam & appellationem aut exortam primum fuiſse, aut ad Græcos perveniſse. Sed etiam ex his nominibus ultro patet ſermonem mihi eſſe non de Adriatici maris Corcyra, Nigra cognominata; verum illa, quæ Chaonum & Theſprotorum litori antiquitus objacebat. Iſtam igitur in fabulis traditam, ab incolis & vicinis populis ſæpe appellatam viſamque, & memoriæ in nomine honoratæ potitam, &, quod omnia ſuperat, atque unde tota cauſa videtur pendere, ab Neptuno adamatam, nunc quoque ut contemplemur, res poſtulat. Neque enim deſeri poteſt commemoratio incrementorum inſulæ, cujus egregia fama deinceps per gentes & ſæcula duravit; & ne hodie quidem tueri eam ceſſat. Sed & in ea largius declaranda prævertit operam noſtram Generoſus & Splendidus inſulæ ejus civis Andreas Marmora, integro & elaborato opere eam proſequutus; & ſpectare noſtram Corcyram nuſpiam melius quam in illius tablino licet, unde propterea & majus hoc ſpecimen petivi; & ne ignores varie comptos ejus capillos pro annorum diſcrepantia ab inſulanis expreſſos, hæc breviore area circumſcripta appoſui. Debuit nempe ab Neptuno adama-






ta ſupponi, quam ille penitus circumdederat & amplectebatur; & quidem tam benigne, ut triplice portu patefaceret aditum, teſte Scylace. Sed neque maritimus populus alium parentem nuncupare poterat, quam a quo ut aquarum domino fauſtam imaginabatur ſe adipiſci ad bella ſimul & ad commercia navigationem, ita omnibus huic deditis, ut etiam ſcopulus in promontorio Phalacro velificantem navem ita referret, ut ab ſimili ejus ſpecie fabularentur navem Ulyſſis in eum mutatam teſte Plinio.



Tarenti Conditor

TARAS.



Si aliqua antiquitati fides, in hanc quoque ætatem conjici oportet principia clariſſimæ urbis Tarenti; cujus appellationis origo conferri ſolet in quendam Taranta, perinde non ſine Neptuno nominandum, quum ejus (nam ridicule in parte fragmentorum Servii proditur Herculis filius ex mala interpretatione) exſtitiſſe dicatur etiam filius. Certe ab iſto id fabricatum fuiſſe & uſque ad Phalanthi tempora manſiſſe breve oppidum ſcribit is ipſe Servius ad librum III. Æneidos, ex ſatis probabili omnium incrementorum ratione, unde nec auctor quiſquam ab eo diſſentit. Ipſam vero Tarantos appellationem veniſse ab Cretenſibus, & ſpeciatim illis, qui occiſo Cocali inſidiis in Sicilia Minoe, aliquamdiu incertis ſedibus vagi, huc tandem dejecti appulerint, ſicut ex Antiocho memorat Strabo, ita ſequuti merito ſunt recentiores, Ortelius, Meurſius, Cluverius, quum ſit nihil certius. Ubi licet exigua fortaſſis quædam ſint aliena, ſumma tamen conſtant; ita ut manifeſte ſignificent peregrinos mari advectos, & ſane Cretenſes, primam originem illi urbi dediſse & quidem paulo poſt Minois tempora duce etiam iſtius nominis. Certe hanc hiſtoriæ veteris memoriam perpeti teſtimonio confirmarunt cives ipſi, illum ſuum Taranta curantes quotidie in nummis adſpici advectum delphino; ut non debuerit hæc bene ſana turbare aut eludere Pauſanias ſcribendo eum quidem fuiſse filium Neptuni, verum ex populari ejus regionis nympha [a], quam ſine dubio ipſe ignoravit. Delphinus hic venuſtatem narrationis debuit inſtruere ex more fabulæ, quaſi ita divinitus acceſſiſset : unde Tarentini variis parergis effigiem ejus honeſtantes, nunc galea, nunc racemo & clava, nunc diſco aut Victoriola aut tridente aut clypeo, cancro, capricorno, limace, concha, polypo, tripode inſigniverunt. Inter quæ ſemper delphinus apparet, cui invehitur, [b], ut ſcias nave advectum veniſse, cui tutela iſta vel nomen fuerit. Altera monetæ area ſæpe deſignat equitem ſimiliter variis ornamentis notatum, quem tacente Goltzio, etiam Ortelio, ubi meminit ſui nummi cum titulo ΤΑΡΑΣ, Harduinus arbitratur eſse Phalanthum, alterum conditorem, nulla ratiocinatione nixus. Sed verum interpretem ejus ac notorem oportet accipere Stephanum, qui ſcribit ſolitos dicere ΤΑΡΑΝΤΙΝΙΖΕΙΝ [c] de exercitatione campeſtris equitationis ſub armis, unde inſignes equites ad bella præparabantur; quos etiam in veterum militia Tarentinos appellari legimus. Ad hanc igitur exercitationem innuen-

a. Ἐπιχωρίας νύμφης.
b. Ἐποχεῖται, ait Pollux.

c. Ταραντινίζειν, τὸ τὴν ἐνόπλιον καὶ εἰς τὰς μάχας χρήσιμον ἱππασίαν ποιεῖσθαι.

dam & galeati, & haſtati, & cum ſcutis, etiam cum clavis cernuntur iſti equites, quibus poſt certamina contingebant inde coronarum aut ramorum præmia, ideoque tunc non nudis tantum, ut reliqui ſemper, ſed ſine ullis quoque armis, prout in nummis exprimuntur.


LEDA
Helenæ et Castorum mater .

LEDA.



PPROPINQUANS navigatio Argonautarum, conſpicuus omnino mythici temporis gradus flexuſque, flagitat ut tempeſtive producatur Leda, cujus duo filii Caſtor & Pollux illis interfuerunt; quum ipſius fæminæ decor cælo tenus ſe extulerit. Tyndareo enim id dederunt illi mortales Dii, ut præter regnum ad fluvium Eurotan, hanc quoque pulchritudinis extremæ ſpeciem ex Ætolica regione translatam in Peloponneſum, domi ſuæ haberet. Verum non ſine faſcino; quod vel præcipue uſſit Jovem, ita ut ſe non contineret, quin tam celebre decus inquinaret. Hæc res & emanavit & riſui jociſque ſegetem uberem dedit. Dicunt palam fabulæ, quantopere & quam diverſimode in illo Jove luſerint. Dicunt etiam magis monumenta ſpectantia ad hanc alteram Venerem, & matrem futuram ejus quæ ipſa eſſet pulchrior. Illa vero, prout conquirere potui, hæc ſunt. Vide per iſta & formam ejus commendari, & illis narrationibus



adhærere, quæ non Nemeſin, non ovum hic interveniſſe ſupponunt, prout hæc nota ſunt, & nugatur Lycophronis Caſſandra; ſed cygni effigiem, quam induerit Jupiter ad eam fruſtrandam, perinde ut ſub tauro Europen. Quæ duo ænigmata quum variis explicationibus declarentur, in quibus licet unicuique ſuam relinquere; in hoc vere agnoſcas amatorem humano potentiorem & in placendo blandiendoque cygni ſonos adhibentem, quos ut ſummæ dulcedinis jactant proverbia & poetæ. Nec potuit idcirco puella faſtidire. Hinc artifices indulſerunt ingenioſo nequitiæ ludo, non ſecus ac ſi quemadmodum ille ex cælitum lupanari adtuliſſet ſchema, ſic hi certarent laſciviore tractu ducere lineas.



HYACINTHVS *SPARTANVS*
Apollinis Deliciæ


HYACINTHUS.



Hic enim ab Leda non debet ſeparari, ut quæ illum affinem habuit. Nobilis quidem erat Hyacinthus imagine paterna; ut mirari non oporteat, diademate circumdatum geri ab eo caput, (non in magna ſolum, ſed etiam hac minore ex Leon. Auguſtino petita) ſi non regium, certe regii ſanguinis




& animi. Altera nobilitas fuit ab Caſtoribus fratris filiis. Sed ei magnum quoque titulum ab ſeſe adjecit vel formæ veneratione, vel virtutis indole, qua nequaquam videtur degeneraviſſe ab campeſtribus patriæ exercitationibus. Itaque quum amores pueriles jam obtinerent ad Eurotan, vel fortaſſe nunc primum inducerentur, hic potuit demereri ipſum Apollinem: nec illicite; ſiquidem Ovidius audiatur. Non enim conſuetudo illa habuit alios uſus, niſi ut adeſſet venanti inſerviretque ferendo retia ac tenendo canes. Certe nec ipſe exitus hinc diſſentit; quippe notum eſt ſpecimen familiaris ludicri, quod fatale ei fuit, ut diſcum jactarent, laudabili prorſus & robur acuente certaminis modo, qui exhiberet *junctam cum viribus artem*. Hinc igitur *Nec genuiſſe pudet Sparten Hyacinthon*: hinc morte ejus potuit lugere Apollo: hinc ſolennia plurium dierum feſta memoriæ ejus inſtituere voluerunt Lacedæmonii retinueruntque diu poſteri partim luctu, partim ludicris ſimilitudinem vitæ ejus referentibus celebrata.


CEPHALVS et PROCRIS
ac conjugii eorum ſingularia fata.


CEPHALUS ET PROCRIS.



UUM Ulyssis patrem Laerten constet natum esse Arcesio, qui filius fuerit Cephali; inde hujus colligitur ætas, quæ nunc instare prorsus & labi videatur. Id nomen quum aliis quoque factis sit inclitum, quæ narrantur in fabulis; tum præcipue narratione, quæ isto monumento exhibetur, atque ideo nunc memorari debet. Huic enim Procris, quam Erechthida vocat Ovidius, alii filiam Pandionis, & amata fuit & nupta, ita ut ipse fateatur *Felix dicebar*, *eramque*. Sed brevi se circumegit fortuna, ut cupidam ejus se ostendente Aurora, mox magna zelotypiæ materia ad Procridis interitum moveretur. Fabula narrata sæpius, quam satis jocose tabella ista refert. Nam & Cephalo, ut regio juveni, & adstantem habenti satellitem galeatum hastatumque, in manum convenit Procris; & in vicino idem Cephalus, sed mutato in glabrum mento & forma magis juvenili per Auroræ vim fraudemque, ad concubitum trahit Procrin, hoc est, juvenis forma & dote corporis blandus ac verborum illecebris efficax, donorumque liberalitate profusus pellicit Procrin absente &, quod notum erat, rapto marito hactenus fallere pactam matrimonii fidem, ut promitteret noctem; quod lepide indigetat sculptor per accessum ad torum, dumque juveni mulcere collum permittit. In inferiore parte agitur tragœdia, ubi & ipsa Procris jam ad terram data, sed manu sinistra se sustinens, postremas edit voces, mandataque dat Cephalo tenenti jaculum inevitabile, adstante cane Lælape & velut ad prædam adhuc hiante. Sed honoris gratia adstat equiso cum equo, non quod usus eo fuerit in venatione; sed, ut dixi, honoris ergo apponitur, perinde ut Oedipo in monumento Nasoniano sic apud Sphingem adstat. Id autem omne peragitur imminente super aerem Aurora, & quod est oppido venustum, per nubes, velut orci galeam, singula despectante, utpote cujus fallacia hoc totum contigerat, nunc eorum infortunio fruens. Non enim est Aura, quippe quæ nulla est, sed Aurora, quod patet ex disco solis, quem illa ostentat, utpote eum præcurrens.


OENEVS
Meleagri pater

OENEUS.



ENERAMUR curam & induſtriam Fulvii Urſini, quæ conſpectum hujus herois ex nummo, ut ſcribit interpres, argenteo Græco tetradrachmo una & ſola nobis ſervavit. Neque enim poſt eum exſtare uſpiam intelligo, neque illi magna congerie illuſtrati nummi mentionem aliquam ejus faciunt. Iſta vero quæ pergit ſcribere Jo. Faber, quaſi *Aenus* ſive *Oenus* Theſſaliæ civitas in memoriam regis vel conditoris ſui eum percuſſerit; nec tantum: ſed hunc Cunei Homerici fratrem fuiſſe, utrumque ipſe viderit, perinde ut omnia, quæ adnectit. Quum Urſinus ſupponi debeat ex alphabeti ſerie vultus illos digeſſiſſe, aut ſaltem adſcripſiſſe eſſe caput OENEI, unde ipſe Gallæus ita ordinaverit, potuit facile aſsequi non hic mentionem faciendam alicujus Aeni, nec de Theſsalia cogitandum, ſed Ætolia. Eſt igitur hic Oeneus non rebus glorioſe geſtis aut alioquin patratis facinoribus per ſe illuſtris, ſed aliunde & fere divinitus magnam famam adeptus, nunc Bacchi hoſpitio, nunc ira Dianæ & præſertim pœnali inde apro, etiam Meleagri filii virtute fatoque, tum & Tydei alterius filii caſibus, denique Dejaniræ filiæ nuptiis, ne de Hippodamia dicam; atque adeo nexu longo cauſarum, unde clariſſimum id nomen debebat fieri, magnum quoque ad hanc rem momentum afferente Oenoe regionis Argivæ parte, quam ab ejus & morte & ſepultura (utraque enim illic contigiſse dicitur) appellatam teſtantur illorum temporum ſcriptores. Hæc utique ſunt, quibus continetur ampla fabularum portio, univerſa ab hoc Oeneo proveniens. Nec ſane ingratum eſt videre in eo fabricam & ſimplicitatem veteris Ætolicæ galeæ, ab aliis, quas ſupra poſuimus, diverſæ, ſed apte caput tegentis. Hæc pretia ſunt operæ eximii viri, quem rurſus grata voluntate ſalutans hunc Oeneum illi, ut debeo, conſecro.





CALLIRHOE
caede ſua et fonte illuſtris.

CALLIRHOE.



RIUSQUAM hujus Oenei posteros & res, quibus peragendis adsuerunt, attingam, non videtur fas omittere notabilem Calydonis, regni quondam Oenei, memoriam; quæ etsi antecesserit forsan illius ætatem, non incommode tamen hic insulcietur, reperta erudite ab Cl. Canino. Ut alibi per Græciam, sic in his terris quoque frequens & libenter appellatum fuit nomen Callirhoe. Id patet vel ex Acheloi filia, quam ita nominat Apollodorus. Alteram Callirhoen fuisse scribit Pausanias, quæ placuit admodum Coreso (quod vehementer accedit ad Cerassum, etiam popularem Acheloi, & Higino memoratum fab. CCLXXIV.) Bacchi sacerdoti. Sed quum is nullo genere blandiendi expugnare contumaciam puellæ posset, numinis sui opem implorans adeo commovit, ut immissa peste, oraculis consultis, huc res adducta fuerit, quo ipsa virgo juberetur duci victima piacularis. Sed & ratio sacri flagitabat, ut ipse amans, reipublicæ antistes, deberet esse tum peragendorum præses, tum cædis minister. Constituta igitur virgo in loco augusto, sic eum perculit, ut amens ictum in se averteret seque mactaret. Hinc itidem ipsa permota & exsecrata fastidium, quo ad hanc desperationem compulsus fuerat juvenis, statim vitæ renuntiavit, ad fontem, qui non procul urbe aberat, se interficiens. Ab hoc casu fontem istum Calydonii nominavisse credebantur; ad quem idcirco crebras ejus imagines statuasque credibile est positas fuisse vel simplices, vel id ipsum factum exprimentes, quarum aliqua hanc conservavit. Sic scilicet Ætoli nequaquam cedebant Atheniensibus, itidem Callirhoen vocitantibus fontem, sed dissimili fato, quum postea ex illo nomine diceretur Enneacrunos. Conspicitur ergo velut Bacchi victima caput infulata hederaceis foliis, quæ magna hujus interpretationis est fides. Et tamen Leon. Augustinus sustinuit aliam ei imaginem tribuere, destitutam sane illo capitis insigni & sacrificii indicio, quam subjiciendam his judicavi.





ÆETAS
Rex Colchorum.

ÆETAS.



SIC igitur, quum ordo rerum nos deduxerit ad Argonautarum tempora, præconcipere licet ingentia Græciæ & tanto frequentiora decora, quo amplior aperitur via exſerendæ virtutis, quæ antehac aut incluſa terris, aut nonniſi in mari Ægæo probata, experiri ſavorem Neptuni nequivit: certe nondum exſpatiari & reſpicere adverſam continentem, multo minus illum horridum Pontum Axenum ad ſui experimentum conata fuit. Nunc texitur illa navis, quæ tot regionibus ſe oſtendet, nominis ſui memoriam tot locis relinquet, longinqua bella tranſportandi auſpicium dabit, & in tragœdiis toties perſonabit. Itaque hanc quoque qualem fuiſſe crediderit poſterior ætas, inque tabellis ac ſculpturis oſtentaverit, quas plures fuiſſe etiam Romæ credibile eſt in porticu Argonautarum, campi Martii regione, operæ erit ſpectare, antequam ipſos qui conſcenderunt, recenſeam. Sed & ab ipſa reſpectu ætatis præcedere oportet ex Aba Æeten, ad quem ma-




gno jam natu iſta Deorum ſuboles acceſſit. Spectes igitur illum licet leviter inflexo ad ſeſſum corpore & tantum non incommode ſedentem in altiore ſedili, tetricum capillis, denſiſſima barba obſitum, & niſi quod chlamydem in humero dextro nexam gerat ac manu non ſceptrum, ſed vaginam cum gladio [a], nihil regii præ ſe ferentem, ſeptentrionali quadam invenuſtate veſtitum, ut in eo non patrem Solem, quem ei præbent fabulæ, ſed Colchos agnoſcas; qui vel in generi Phryxi necem durare potuit, & quem ipſa filia ſævum patrem appellavit. Hinc & gladium gerit loco ſceptri, ut putes magis Martem, quam Solem patrem ab eo cultum. Unde etiam fortaſſis fuit, ut Marti aureum vellus ſuſpenderit, non Soli; forſan & ipſum campum (Apollodoro lucus [b] dicitur) qui ΑΡΗΙΟΣ ab Græcis appellari

 ſolet,


a. Illud ſcilicet *ἔγχος δεινὸν ἀμαιμάκετον, τὸ μὲν οὐκέτις ἄλλος ὑπέστη Ἀνδρῶν ἡρώων*, ut deſcribit Apollonius III. 1230. at lib. IV. 224. vocat *πελώριον*.

b. Ἄλσος.


ſolet, hinc iſtius numinis appellatione ſignaverit. Cæterum hinc patet longæva vita Æetæ, ut Solis æterni filii, quum fabulæ in ejuſdem regis ætatem conjicere ſuſtinent, tum Phryxi trajectum, tum Argonautarum expeditionem, quam in octavam generationem ab Agenore mittit ſcholiaſtes Apollonii II. 178. Hunc vero Æeten debemus *tabulæ Spicilegii ſæpius citati*, cujus hiſtoriam totam ut ſub oculis habeas eam in breve contractam adjeci.







IASON HEROS
Euxinum Pontum primus navigans

JASON.




NUNC igitur tempori Græcorum mythico celebratiſſima ponitur epocha, dum ad Æeten ex Theſſalica Jolco enavigavit in clariſſima illa nave Argo hic Jaſon in ea militia glorioſiſſimis documentis ſpectatus, non tantum ſapientiæ inter ſuos, per quam navigatio iſta feliciter ceſſit, & Græcis aperuit populos antea ignobiles, ſed etiam virium & animi adverſus quoſcunque occurrentes hoſtes vel monſtrorum impetus. Quæ gloria tanta fuit, ut quum facta ejus ſuper humanas vires viderentur, Juno advocanda fuerit in ſcenam, tum & magica Medeæ venena & carmina. Nota ſunt omnia, nec exſequi enarrando ſingula placet. Specta modo hanc ejus effigem ex eadem tabula excerptam, in qua ad brevius redacta ille ſic ſtat ſacrificans vel cummaxime pateram in ignem & aram effundens



cum tribus aliis ut videtur fæminis, quarum una perinde ut ipſe tenet gladium. Unde Cl. editor judicat eſſe nuptiale ſacrificium, & quum nuptias cum Medea ſine ullo ſacrorum ſtrepitu in Phæacia peregerit, ſignificari putat nuptias cum Glauce ſive Creuſa filia Creontis Corinthiorum regis. Quod plane fruſtrationis eſt plenum. Nam & in Medeæ nuptiis omnino adhibita fuiſſe ex more priſco ac ritu ſacra agnoſcit manifeſte Timæus [a]: & quum Creuſam duxit, pro rege utique habitus non eſt; neque Creon ille erat, qui diadema geſtari ab ullo alio pateretur. Sed neque ab ſacro iſto nuptiali potuit abigi Creon ipſe, qui vota iſta adjuvare precibus ſuis voluiſſe negari nequit. Itaque quum & ipſe pulcherrimus Jaſon exhibeatur, idque in diademate, & inter ſolas tres fæminas illa, quæ ab alio latere adſiſtit aræ, gladium teneat, ſatis apparet eſſe adventum ejus in Lemnon, & fœdus cum Hypſipyle initum inter alias fæminas ut pronubas & conjugii teſtes ſignificari. Ipſa Hypſipyle ut regina gladium gerit vel loco ſceptri

a. De quo hæc ſunt verba Scholiaſtæ Apollonii Rhod. 4. 1217. Τίμαιος ἐν Κερκύρα λέγων γενέσθαι τοὺς γάμους καὶ περὶ τῆς θυσίας ἱστορεῖ, ἔτι καὶ νῦν λέγων ἄγεσθαι αὐτὴν κατ᾽ ἐνιαυτόν.


ex more forſan ejus inſulæ, vel ut bellis occupata, unde hoc etiam inſigne conceditur Jaſoni, qui etiam ut dominus in regna receptus merito admovit capiti regium apud Græcos inſigne. Certe quum hæc fruſta cohæreant, apparet omnia Jaſonis geſta ordine in eis explicari. Neque hic turbamur ob alteram paginæ 120. tabellam, in qua Jaſon ſolvit aufertque aureum vellus, adſtante Medea & draconem ſopiente, ſed barbatus admodum & in galea. Scilicet moleſta navigatio curis ducem vexaverat, curamque corporis deponi & omitti coegerat: etiam inter barbaros & barbatos, ut ex Æetæ vultu apparet, potuit ille ex nimia habitus differentia noluiſſe invidioſe conſpici, ſapienterque ſe accommodavit Colchicis moribus.


ORPHEVS
Theologus

ORPHEUS.



HUJUS magni nominis luculentam memoriam poſteritati reliquit nummus unus, ut mihi videtur, ex præſtantiſſimis ejus generis reliquiis, ab egregio illo Erizzo primum publicatus, & nuper non modo bis per publicam editionem repoſitus idcirco, ut nihil ſuper eo diceretur, prout hæc ætas fert; ſed inter regios in Gallia nummos exhibitus. Eſt autem imprimis non omittenda litera Δ ipſi lyræ appoſita, unde videtur dari aliquod indicium loci, ubi ſub Antonino Pio illa moneta prodiit, nempe ΔΗΛΟΥ. Delii enim ob hanc cauſam ſæpe primam appellationis ſuæ literam adfixerunt nummis apud ipſos cuſis, ut patet ex duobus poſtremis nummis apud Goltzium in Græciæ inſulis, ubi præſertim notabilis eſt poſtremus, non tantum ſignificans id quod dixi, ſed etiam formam inſulæ Deli eſſe triquetram & omnia tria ejus latera eſſe pariter ſplendentia. Delii igitur æterna certe in baſi, quæ ſicut ad nos perennavit, ſic perennaturam eſſe confido, poſuerunt hunc Theologum, quem Higinus etiam occaſione Argonautarum deſcribens, ait eſſe Oeagri & Calliopes Muſæ filium, Thracem, urbe Flevia, quæ ſit in Olympo monte ad flumen Enipeum, Martis cithariſtam. Euſtathius ad Iliada Φ ait in Libethris vixiſſe [a] hunc Orphea. Hæc Libethra conjungit quoque cum Olympo Pomponius Mela, ut ſic Higinus quoque ſcripſiſſe videatur. Is ergo ſic ſedet medius ferarum & volucrum, non advocatis etiam arboribus & ſaxis, niſi quo illis inſiſtant aut inſideant feræ aliteſque. Quod certe meretur notari, quum vere proprieque efficiant titulum theatri Orphei, & dictum fuiſſe Orpheum *lenire tigres rabidoſque leones* teſtetur Horatius omiſſis ſaxis & arboribus, quas tamen in ode comites fuiſſe ſtatuit etiam apud alios poetas & fabulatores addi ſolitas. Quinimmo ſculpi & pingi hoc modo ſolitum fuiſſe Romæ manifeſtum eſt ex Martiale x. 19. *Illic Orphea protinus videbis, Udi vertice lubricum theatri, Miranteſque feras, avemque regis, Raptum quæ Phryga pertulit tonanti.*










a. Λιβήθροις ἐνδιατρίψαι.

Adeo nulla adfuere ſaxa , quæ potius attribuenda erant Amphioni , licet ipſe Martialis in Spectaculis n.21. ſcopulos repſiſse & ſilvam in ludis Domitiani cucurriſse ſcribat, & cum Orpheo comparet . Satis miror , non plura Orphei iſtius monumenta ex ruderibus antiquis proruta , quum multa ſane exſtitiſse colligas vel ex Martialis exemplo, vel ex regione poſtmodum Orphea dicta, cujus mentionem in donatione Conſtantini publicavit Eruditiſſimus Ciampinus Cap.57. de ſacris ædificiis. Quem unum novi ex gemma vulgatum ab Leonard. Auguſtino, ubi Cerberum demulcet , judicavi addendum. Chriſtianis placuiſse præcipue videtur Orphei hujus ænigma in ſepulchrorum ornamentis, quales ſunt hi duo ex Roma Subterranea excerpti.




EVPHEMVS
Neptuni Filius.

EUPHEMUS.



INTER hos navales ſocios conſpicua quoque pars fuit Euphemus, Tityi creditus ex filia nepos, quam varie ediderunt, Orida vel Mecionicen vel Europen. Sed ſatis eſt paternum genus, quod ab Neptuno trahebat, noſſe, ut inde colligatur fuiſſe quandam in eo aquarum quoque potentiam, prout uſus tridentis innuit; quæ talis fuit, ut poſſent illum ſuſtinere aquæ, & ſuper eas ſicco pede cucurriſſe dicatur, ut ſcribit Higinus, nec aliter Tzetzes ad Lycophronem [a]: perinde ut Orion ab eodem patre adeptus erat facultatem tranſeundi maris teſte Apollodoro lib. I. [b]. Sed & Iphiclus currere per id ipſum potuiſſe ſcripſerat Demaratus apud Scholiaſten Apollon. I. 45. Equidem vix eſt operæ, ut moneatur id quod facile cuivis in mentem venit, effictum eſſe ob peritiam artis nauticæ. Sed hoc ſatis elegans, quod iſto commento deſcripſerunt proretam; quem locum in hac nave ab Euphemo adminiſtratum ſcribit idem Tzetzes, diverſus ab Higino, qui proretam navigaſſe Lynceum, qui acutum videbat, tradit, quum tamen mox ad proram & remos ſediſſe notet Peleum & Telamona, quaſi diverſa illa duo fuerint. Itaque obſervare ſolitus in prora ille potiſſimum viſus fuit ambulare ſuper aquas, quem primum prora ſic procedentem in curſu oſtendebat. Certe id munus demandatum fuiſſe huic Euphemo, ſignificat quoque Apollonius libro II. verſ. 538. ſcribens ab ipſo retentam fuiſſe columbam, quæ ſine dubio in prora mitti debebat. Et quam hic illuſtris tum affinitate, tum in poſteris? Nam & uxorem habuit Laonomen Alcmenes filiam, ut ita fuerit affinis Herculis; & quum ab eo inhabitaretur ora Laconicæ, Seſamus ex poſteris ejus tranſiit in Theram eamque condidit, ſicut & inde propagatus fuerit Ariſtoteles Battus Cyrenes conditor, ut eſt apud Scholiaſten Apollonii III. 1706. ex Pindaro. Euphemos etiam alios nominari novimus, quos non moramur.

a. Τὴν θάλασσαν ἀπημάντως ὡς διὰ γῆς πορεύεσθαι: unde etiam ποσσὶν ἐπίσωμος celebratur ab Apollonio IV. 1465.

b. Ἐδωρήσατο δὲ αὐτῷ Ποσειδῶν διαβαίνειν τὴν θάλασσαν.




HERCVLES ET HYLAS

Vt amore ſic vultibus juncti.

HYLAS ET HERCULES.



ON ſeparandus ab hac ad Colchos navigantium ducum cohorte hic ſive Thiodamantis, ut plerique, ſive alterius (nam & Theomenem & Ceyca apud Scholiaſtas invenies) filius. Itaque ſicut in patris nomine differunt; ſic quoque in patria videntur magis diverſum quid dicere, quam quod vere diſſentiunt, dum hi ex Oechalia, illi ex Argo, nempe Pelaſgico, derivant, utroque oppido circa Dryopas. Certe ex his oriundus, patre interfecto, Herculis aſſecla factus cum eodem varia Græciæ loca peregit, ac denique eidem adhæſit conſcendenti navem Argo, ſeu familiaritatis dulcedine, ſeu quod ſpectare herois magni geſta cuperet; an Hercules ejus conſuetudine vehementer acquieſcens, hoc multiplicis profectionis & longæ navigationis ſolatium duxit? Certe formam & ſpeciem in eo prædicant univerſi, & agnoſcunt delicias Herculis, ſicut præter hunc Hylan in iſtarum numero colliguntur plures, etiam vetuſtis marmoribus deditum pueris heroa ad avocationes ſignificantibus. Itaque hac amicitia famigeratus fuit per fabulas, adeo ut vix dixeris, gratiuſne judicaverit vetuſtas conjungi nomina eorum ab ſcriptoribus in membranis & chartis, an ab ſculptoribus in ſaxis frontes eorum. Non Herculi junior diſplicuit Hylas, non Hylæ ſenior Hercules. Sic igitur juncti quum obambulaverint varias terrarum partes; etiam hæc capitum junctura per multos jam annos innotuerit, pergant ſe confiteri junctos, dum licet.



HYLAS
ab Nymphis raptus.

HYLAS AB NYMPHIS RAPTUS.



SED non ſemel vocandus eſt Hylas. Hoc enim rapto non tantum littus omne Hyla Hyla ſonuiſſe, ſed ab Hercule & Polyphemo rurſus Hylan & rurſus Hylan reclamatum fuiſſe, canunt poetæ Latini, quod ad ternarium augebat vates Siculus ritu ſacrificii ſolennis exigente eum numerum, ut teſtatur Antoninus Liberalis. Nunc igitur duplicetur quoque hic clamor, præſertim quum flagitet antiquitatis reverentia. Et ſane quum inclaruerit Herculis amicitia Hylas, haud nihil ambigam, an non ultimum momentum, quod in terris egit, attulerit famam nobiliorem. Hoc eſt argumentum iſtius ſaxi, quo in Mœſia juxta Cium ad Aſcanium flumen, ut Higinus, apud fontem Calci amnis, ut Servius ad VI. Eclogam, traditur raptus ab Nymphis, & quidem tribus, quarum nec nomina celavit ille dignus, quem Nymphæ depereant, ſuaviſſimus Theocritus idyll. VI. Eunicam appellans, Malin, & Nichejam. Et tot fuiſſe ſuetas ſimul coli & jungi docet non tantum Apollonius IV. 1427. tres ſimiliter nominans, Heſperam, Erytheida, Æglen, ſed & auctor marmoris NYMPHABUS erecti, quod notis ad Pomponium Melam inſerui. Itaque illas tres ita interpretatur ſcholiaſtes ejuſdem Apollonii ad librum I. 1235. ut ſtatuat ab Theocrito dici eum ab omnibus nymphis eſſe raptum [a], nec alio modo Nicander, quum Apollonius ipſe unam proferat. Sed fuiſſe etiam, qui duas prodiderint, clamat hoc alterius marmoris fruſtum. Alioquin conſtat, ut dixi, tres nymphas paſſim adſignari fontibus, quos nymphæis decoratos cenſebant, ut patuit ex Apolloniatum nymphæo.

a. Ὑπὸ πασῶν τῶν νυμφῶν ἡρπᾶσθαι.





CALAIS
Boreae f. alato capite.

CALAIS.



GREGIUM hoc hiſtoriæ fabularis ſupplementum debetur ſolertiæ & felici ſtudio *Viri Politiſſimi Jacobi de Wilde*, qui ut multa alia præclara, ſic hoc fabrefactum cujuſcunque ex Boreadis caput ex gazophylacio uberrimo protulit. Cui ordinem ſuum adſignare debui, duntaxat ne quid decederet gloriæ Teni inſulæ, quam ſupra tetigi, ubi Calais cum Zete fratre dicitur occiſus ab Hercule & ſepultus, ad boreæ flatum movere ſolito illorum ſepulchro. In hoc igitur capite cernuntur ad tempora alæ vel pennæ, quas univerſi fabulatores his fratribus tribuunt, ſed diſſoni in loco, quem plumæ celaverint; quum ab aliis pedes, ab aliis dorſum aut humeros eis attribui legamus. Sed noſtrum exemplum adſcribit capiti, quomodo plerique ex optimis, qui addunt etiam ſingulos capillos impleſſe ac tranſiviſſe aerem, vel ut ſcribit Higinus, crines fuiſſe cæruleos, qui pervio aere uſi ſunt. Itaque non galea huic adfingitur, ut iſtiuſmodi capita galeis alatis operta exſtant multa in nummis; non mutuaticia talaria, ut ad tempus ſumpſerat ab Mercurio Perſeus, (qui alioquin huic capiti controverſiam movere poterat ex ſimilitudine) ſed capiti innatas plumas videre licet. Hinc igitur a fatis comparatus fuit, qui cum fratre Zete notiſſimas Harpyias ab Phinei menſa expurgarent fabulatione percelebri; quare & a nobis adſpici meretur non minus, quam Amyclis, ubi ſic cum fratre factus fuiſſe narratur ab Pauſania in Laconicis. Denique poſtremam ejus memoriam refert Higinus, qua narrat eum in ludis, quos Acaſtus patri Peliæ fecit, diaulo viciſſe fab. 237. quod confirmat Dio Chryſoſtomus in Corinthiaca, ſed eos ludos ab duobus Diis editos fuiſſe ait.


CYZICVS
Conditor Urbis Cyzici.

CYZICUS.



SIC quoque Argonautis agglutinari debet, qui niſi ad eum tranſmiſiſſent, ne ipſis quidem Cyzicenis fortaſſe notus eſſet. Per illos autem productus eſt, dum inopinanter prælio contracto ab iis imprudentibus interfectus fuit, & quidem ab ipſo Jaſone, ut tradunt Higinus cum aliis. Sed errore cognito ludos funebres ei fecerunt triplici exercitationum campeſtrium illius ætatis genere adornatos, ſaltu, luctatione & jaculo. Ea res abiit in famam, & hoſpitale Cyzici nomen ab Græcis celebratum fuit, ita ut vel ab eodem tradiderint urbem iſto nomine in Propontide & ſitu munitiſſimam, & rebus geſtis, & ſacrorum cultu nobiliſſimam fuiſſe conditam, vel ab ipſis poſitam ſic vocaverint, unde *Æmoniæ nobile gentis opus* maluit deſcribere Ovidius. Neque poſteriores Cyziceni hanc antiquitatis ſuæ gloriam ſpreverunt, aut averſati ſunt, adeo ut moneta ſua eam confirmaverint; quam conſpicuam publice fecit Cl. Seguinus, a quo acceptam laudaverunt plurimi. Verum Angelus Caninus longe aliud cenſet, ac quem profert vultum e nummo, cui inſcribitur ΚΙΖΙΚΟϹ, quum in altero ejus latere ſit corona oleaginea, non regis



antiqui Cyzici, ſed Antiochi Cyziceni eſſe judicat. Quod prorſus non videtur probabile, quum Antiochus ille alia longe faciei lineamenta in nummis ſuis præferat, nec ulla cauſa ſit, cur illi regem etſi in urbe iſta per juventam educatum, tamen peregrinum hoc modo venerarentur. Ne dicam abſurdum fore, quum in altero latere literæ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ſatis indicent locum ubi cuſus fuerit, ſi etiam in anteriore urbs ΚΥΖΙΚΟϹ exprimeretur: ut adeo non urbis appellatio illic habeatur, ſed ipſius antiqui regis cum ejuſdem vultu. Alium ſive Cyzici urbis Genium ſive Cyzicum, ſed majore jam natu profert hic nummus ejuſdem urbis; nam vox quæ illic a tergo adſcribitur ΚΥΖΙΚΟϹ, ita urbem notat, ut auctorem jactet; aliter quam in altero Holſteniano ΣΜΥΡΝΗ ΚΥΖΙΚΟϹ ad Stephanum p.301.



MEDEA cum filio MEDIO
fugiens *CURRU A DRACONIBUS* tracto

MEDEA.



Sic igitur procedente curſu tandem Argo applicuit ad litus Colchicum: unde quanta rerum geſtarum ad rumores & fabulas materia? quanta miraculorum ſeges? Sed omnia illa uni Medeæ imputantur, Medeam ſingula illuſtrant; & ut Medea ſpectetur, antea in anguſtia Colchidis latens, mox Minyas ſequuta, ipſas tres continentis partes perreptari oportebat, ſi fides fabulis, ipſius adventu tunc obſtupefactas. Hæc enim Æetæ filia partim ex ſe, partim inſtinctu ſororis ad amorem Jaſonis elata, nihil penſi habuit, quin peregrinum Jaſona & adjuvaret & amaret. Multæ in illis ambages. Nobis placuit hanc ejus operum partem eligere ad conſpectum, in qua præſtantiſſimum incantationis ſpecimen continetur, ut relicta tellure draconibus alatis jugo impoſito ad currum junctis evolaret in aera; ſive illud contigerit poſt fraudem, qua filias Peliæ commovit ad perniciem patris, quæ duæ videntur in monumento integro adſtare, non nutrix Medeæ aut chorus, ut putabat vir doctus: ſive poſt Creontis incenſam regiam: certe Athenas ita fugiſſe memorat Ovidius. Cæterum eadem quoque junctis draconibus ab Athenis Colchos redit, ut refert Higinus: etiam in curru junctis draconibus venit ad Perſen patruum apud eundem. Et hoc probabilius videtur, quum puer iſte, quem humero ſiniſtro geſtat, ſit Medus vel Medius, quicum fugiſſe in Aſiam, ut Mediæ regioni nomen contingeret, fabulantur: quem impetu repentino arreptum, non ſecus ac ſarcinam quandam aut pellem humero injecit parva parte retinens. Quidquid ſit, certe ad tragicam machinam vix poſſet quidquam opportunius exquiri.


MELEAGER VENATOR
cum capite apri calydonii

MELEAGER.



NTER Oenidas nominari præcipue meretur hic inclitus quidem ſama vir, ſed animo longe, ut videtur, præter cæteros exſuperantiſſimus, & certe dignus, qui Martis ipſius ſuboles crederetur. Nam ſimulatque opinio glorioſæ, etſi longinquæ & periculoſæ, expeditionis ſub Jaſone ad eum venit, non ceſſavit inter Argonautas nomen profiteri ſuum. Quum in Peloponneſo ad ludicrum roboris & artificii certamen juventutem evocaret Acaſtus, feſtinavit etiam ipſe occurrere, jaculi, quod adſuetum illi armorum genus fuit, gloria nulli cedens, immo vincens omnes. Sed neque dubitavit ſuccurrere mox popularibus, & eorum damna vel ſuo periculo prohibere, ut aprum illum Dianæ ultorem trucidaret. Quin etiam virtutis in alio æſtimatorem fuiſſe probat apri caput Atalantæ datum, non avunculis, idque ad honorandam in fæmina peritiam teli dirigendi, quo primum vulnus feræ inflictum fuit; licet amori id ab aliis adſcribatur. Et quæ non ab eo expectare licuit, niſi matris effera impietas filium in flore ætatis exſtinxiſset? Sed ſic quoque Diis memoriam ejus ad ſeros poſteros tranſmittentibus manſit in ore hominum vel per ſorores, quas flendo mutatas in aves jactitavit & Meleagridas vocavit fabularum loquela. Hinc quoque non defuit ei ſtatuarum & imaginum multitudo, ſive per Græciam, cujus in eo reverentiam teſtatur hic Samiorum nummus, & gemma caput apri Calydonii cum ipſius vultu junctum præferens: ſeu deinceps Romæ, ubi in regione circi Flaminii intelligimus fuiſſe Meleagricum. Et



fortaſſis in ea parte fuit quondam poſita hæc ſtatua ipſa, quoniam & canis venatica & profectum aprugni capitis clamant eum eſſe. Ibidemque videtur conſecratum fuiſſe alterum nobile marmor, quod titione ardente & hinc tabe pereuntis Meleagri miſerabilem caſum exprimit, atque ideo hic quoque conſpiciendum, quoniam & Althææ matris factum, & Atalanta, prout in morte ejus ſe geſſerit, & patris Oenei, gravis ætate ſenis, luctus, & ſororum in morte foventium ſedulitas illic ſimul apparent.







Iacens in lecto moribundus MELEAGER [illegible] patre Oeneo et sororibus [illegible] Torrem [illegible]


MELEAGER VENATOR
Apri Calydonii confector.

MELEAGER.




NON temeritas eſt aut voluptas duplicandi, quod ſemel poſuiſſe ſatis erat; ſed cautela ab errore, quem alios erraviſſe video, qui in nomine Adonidos hanc ſtatuam ediderunt, inter quos eſt Steph. Peraccus. At non erat dubitandum, quin eſſet ipſa Meleagri ſtatua, quæ modo anteceſſit, cum cane & apri capite; & vel prorſus eadem, vel utraque ad idem vel utraque ad idem exemplum facta. Nec quod ille ſcribit fuiſſe in ædibus Epiſcopi Aquinatis, Perrierius ex ædibus Pichiniis, id quidquam diverſi in ipſo viro adfert. Mutatio omnis, quæ inter utramque eſt, contigit tantum ex pictore, qui eam ab alio loco contemplans contulit in chartam. Itaque quum in re nihil ſit diverſi, de utraque idem dictum eſto. Quod illos, qui falſum ſtatuæ nomen inſcripſerunt, vertere ad meliorem mentem debuit, eſt utique canis, cui nihil ad Adonin; & licet hujus fabula complectatur quoque violentiam apri, ea per abſciſſum ac domitum caput declaranda non erat.



ATALANTA *CELERIPES*

Dolo Veneris Hippomeni cursus praemium.

ATALANTA.



Nec ipſe Meleager pateretur nunc ſibi avelli hanc puellam, cui vivus tanta cum fide & aſſiduitate adhæſit, ut oblitus materni ſanguinis, vitam quoque illi impenderit. Hoc judicium viri, unius ex præſtantiſſimis ſuæ ætatis, abunde confert ad ejus commendationem. Quin etiam licet taceant alii, inter Argonautas eam navigaſſe ſcribit Apollodorus, ita ætatis ſimul & virtutis documentum commodans ei ſane magnum. Non levius temporis ejus argumentum eſt, quod præbet Apollonius Rhodius [a], ſcribens illam Jaſoni dediſſe jaculum. Id quod fortaſſis ipſum eſt, quod tenet manu, & ab Higino fab. CLXXXV. appellatur *telum*. Sed ſufficit Meleagro adjunxiſſe amatam hanc Atalanten, Arcadicam puellam, etſi in ea non minus placuerit diſſidere, quam in Scylla, quod notavit paterna Diatribe ad Statium cap. LVI. Quam hoc modo conceperunt pictores vel ſculptores, ut aptiſſimo habitu ad venationes & curſum, depoſito veſtium onere, prout ex Theſauro Palatino excepi; longe certe aliam illa, qualem viri docti Atalanten exhibebant, de qua ſcripſi ad Gorlæi gemmas num. 641.

a. Lib. I. verſ. 769. ἔγχος ἑκήβολον, ὅ ῥ' Ἀταλάντη Μαινάλῳ ἔν ποτέ οἱ ξεινήϊον ἐγγυάλιξε.


AI METVS
reducente ex inferis Hercule Alceſtin adſtante Pallade

ALCESTIS ET ADMETUS.



ETIAM huic populo annecti debet Alcestis, Peliæ filia, atque adeo Jasonis patruelis; mox Admeto regi Pherarum nupta singulare conjugalis amoris exemplum præbuisse credita, ut pro marito, quem sic ab morte servari posse impetraverat ab Parcis Apollo, ipsa mortem vicariam impleret, quum id recusarent pater materque, qui etiam in eo numero erant comprehensi. Majus profecto id erat, quam ut fieri deberet; adeo ut vel ipsa Proserpina invidiam non ferens, eam remiserit, vel Hercules hac etiam vice inferos petens, illic cum Plutone sic decertaverit, ut fuerit restituta ad suos, quæ narrantur ab Higino fab. LI. & Apollodoro lib. I. & aliis, quum interim Lucianus ab Plutone & Proserpina remissam dicat gratificantibus Herculi. In his secunda narratio videtur placuisse *huic Nasoniani sepulchri pictori*, unde non modo armis omnibus instructum Herculem, sed adhuc ferventem ab pugna constituit, verum sane ΚΗΡΑΜΗΝΤΗΝ, ut eum cognominat Etymologus [a]. Itaque quum mœstus & orbus sedeat rex Admetus mentum innitens dextra, cujus cubitum fulcit superior sellæ regiæ ora; tum ipsa ab Hercule adducta propius accedit in veste exsequiali, vel quum Græca hæc scena sit, ΕΝΤΑΦΙΟΙΣ, ita ut eam universam ne manibus quidem exsertis obvelet, prout cadaver in solio fuerat compositum, cujus egregium profecto in hac Alcesti suppeditatur specimen.

a. In voce Κὴρ, ὁ τὰς κῆρας διώκοντα.




ABDERA
Diomedis Thracis soror.


ABDERA.

IC igitur patefacto magis orbe & cognitionis deſiderio homines ad peregrinationes invitante, cœperunt terræ pluribus frequentari urbibus, in quibus hanc opinamur noſtro tempori convenire, appellatam ab ſorore Diomedis Thracici, quem ab Hercule interfectum narrant. In quo fabulationis incerto obumbratur veriſſima nota temporis, quo hæc urbs Græcis innotuit, quicunque etiam poſtea ſive Clazomenii ſive Teii, de quibus ſatagit Salmaſius ad Solinum, poſtea inſtauraverint. Hanc autem nominis originem præferimus illi, qua creditur ab Herculis amaſio Abdero, quem Stephanus & Scymnus Chius laudant, ſic vocata eſſe. Cur præferri mereatur, non modo Melæ teſtimonium dicet, ac ſimul nummus ipſius urbis, unde conſtat fides ac ſententia ipſorum civium; ſed infida iſtius Abderi contemplatio, in qua ſibi non conſtant auctores, quis ille fuerit, alii amaſium Herculis, alii famulum ipſius Diomedis ſtatuentes. Neque tamen hic appellationis fons ultra poteſt placere, quam quatenus libet indulgere fabulis; quum non deſit anſa firmius & probabilius aliquid & ex ingenio tam regionis, quam ipſius vocis profluens videndi. Hercules quidem ΠΕΥΚΕΥΣ illic colebatur, ut oſtendit Etymologus [a]. Sed hunc cultum tam Abdera potuit introduxiſſe ſine dubio exoſa fratris feritatem in humanas eſcas durantem, quam Abderus ille Erimi, amaſius lacertoſi numinis. Spectabilis igitur eſt hæc Abdera ob compturam capitis ſane ſingularem, dependente & cervici inhærente ſpira crinium bene contorta, fere ad inſtar ejus, quam demiſit Sabina Hadriani, niſi quod hæc paulatim ſuam imminuit, Abdera denſiorem fecit. Fata urbis ubilibet ſatis enarrata ſunt.

a. In eadem voce Κήρ.



ACHELOVS
Herculis pugna celebratus.

ACHELOUS.



NON etiam tacitus prætermitti nunc poteſt Achelous, quem ita Acarnanes, Ambraciotæ, Thyrrenſes populi vicini nummis ſuis honorarunt, ſecuti id, non quod ſcribit Strabo, & adferri video ad hujus faciei illuſtrationem, prout & alios fluvios ex ſuſurro & murmure aut etiam alveorum flexibus taurorum ſimiles finxerunt; ſed verius id, quod fabuloſa vetuſtas circa hoc tempus ei contigiſse narravit. Potuit Strabo ſcribere Acheloum tauro adſimulatum fuiſse, ut fuerunt quoque reliqui fluvii. Nam Achelous ipſe fatetur ſe induere tauri figuram potuiſse & ſolitum eſse; ſed integri tauri, non uno cornu truncati, verum utroque cornu inſignem frontem gerentis, *Armenti modo dux*, ait ipſe, *vires mihi cornua ſumo*. Sed ea ratio & illa ætas nihil ad horum nummorum vultus, qui pertinent ad id quod addit, *Cornua, dum potui, nunc pars caret altera telo Frontis*. Notiſſima fuit per Græcos ejus lucta cum Hercule, quam quum mutatus in taurum renovaret, ſic quoque victus alterum cornu præfractum acceperunt Naides, & copia ſuæ ubertatis repletum in linguas miſerunt ut abundantiæ ſymbolum. At ille abhinc uno tantum cornu ſignatus, fingebatur reliquo corpore taurino, ſed facie tamen juvenili, perinde ut Prœtis retinuiſſe fingebatur hanc partem muliebrem. Itaque hæc Acheloi ſpecies non debet conferri cum bove Stymphaliorum, Lacedæmoniorum, aut Sicyoniorum, aut Phliaſiorum, aut Argivorum; illi enim omnes habuerunt vere & bina cornua & caput bovinum: forſan & Acarnanes ſuum quoque Acheloum ante ætatem Herculis ita pinxerunt. Sed ejus memoria quæ nobis reſtat, & talis eſt, ab hoc tempore & certo caſu incœpit. Alioquin antevertere debuerat, quum Achelous fuerit vetuſtiſſimus fluviorum habitus, ut ex auctoritate Acuſilai (nam vitioſe editur ΑΓΗΣΙΛΑΟΣ) teſtatur Macrobius libro v. Saturnal. cap.17. ubi etiam ab omnibus populis reverentiæ cauſa memoratum ſcribit Ephorus, ut minus mirum ſit vicinos eum moneta honoraviſse, qui id ſaltem perſuadere potuerunt, ut eſset præſtantiſſimus fluviorum [a] Græciæ, quod diſcimus ex ſcholiis Apollonii IV. 293. Tunc quum Pemmedæ & Acheloo nati ſunt Hippodamas & Oreſtes, quod legitur apud Apollodorum lib.1. nequaquam hoc habitu ille cenſebatur: is nunc primum illi contigit.

a. Διαπρεπέστατος τῶν ποταμῶν.



OMPHALE SVPERBIENS
Herculis exuviis.

OMPHALE.


SEQUATUR etiam in isto articulo hæc Lydiæ regina, tunc quum Sardis etiamnum Hyda vocaretur, in qua habitasse eam notat Stephanus, etiam addens auctorem duplicis nominis in eadem urbe Leandrum. Equidem hæc illa est, qua gloriosius illecebras suas nulla consumpsit. Potuit Indica Cleosis subigere Alexandrum, ut reginam eam servaret. Huic ea venena adsuerunt, ut etiam ipse Hercules marcescens per triennium illi supra Sirenas omnes ad illigandos heroas artificiosæ Lydæ servierit. Hæc igitur Jardani filia, Tmoli vidua, non illius quem adspeximus, sed posterioris, ut facile credimus illud nomen istic frequentatum mansisse, dicitur in fabulis fuisse, cui ipse Mercurius sic condemnatum Herculem dedit, ut Higinus, sed pretio etiam addictum scribit Apollodorus, quia & Apollinis tripodem violarat & cum eo pugnaverat. Itaque non erubuerunt molles Lydi has validas priscæ reginæ blanditias etiam ostentare per posteros, ut exarmati Herculis exuviis, prorsus non ad hæc ornamenta quæsitis, Omphales, Lydia quoque veste amictæ, effigiem terribilem, an ridiculam? efficerent, ut eandem referimus *ex Palatino Thesauro*. Cui nullus dubito addere hanc alteram ex Leon. Augustino I. 72. quam ipse appellabat Dejaniram. Sed nusquam



legimus ita hanc intumuisse & exsultasse, ut decoris fæminei oblita, sublato discrimine, se illo truci velamento exornatam ostentaret, dumque frontem comis artifice ornatricis manu in cincinnos fractis jactaret, tam inusitato velut tutulo verticem per ludibrium oneraret.


THESEVS
Reperiens insignia generis.

THESEUS.



JAM diu oportuerat poſuiſſe laudatum illum & incomparabilem Atticæ regionis civem, & ipſius urbis verum conditorem, Herculis & Meleagri ſocium, imo alterum hunc Herculem, & utique poſt fata feliciſſimum. Multo tempore fuit aſſidua Herculis concordia; ſed & Minois ferali tributo Athenienſes liberavit, & Acheloi hoſpitio uſus, tum & inter Argonautas quoque conſcendit. Enim vero multiplex hujus meritum non modo in patriam, ſed erga omnem quoque Græciam circumdedit hunc præ omnibus ducem ſplendore clariſſimo: unde & laudatus ubique in libris; & in ære, marmoribus & tabulis, tum Athenis, tum alibi ab Silanione & Parrhaſio, unde his honor acceſſit, poſitus fuit. Sed perierunt illa. Unde placuit eligere memoriam *in Theſauro Palatino* ſervatam, & paſſim ſatis explanatam de calceis & gladio ſub ſaxo abſconditis ac modo ab heroe noſtro recollectis, quæ ſane fuit prærogativa ſequutæ majeſtatis. Tanto confidentius hanc partem elegi, quod ejus tanta fama fuit, ut inde eum deſcripſerit Lycophron, *qui e ſaxo calceos extraxerat, Enſiſque cingulum & gladium patris* [a]. Scilicet Troezene reliquerat Ægeus Æthram & filium hunc, monens ut quum ſaxum valeret tollere, locum mater ſignificaret, & cum illis deinde Athenas pergeret. Videtur autem moris id fuiſse Athenienſium primoribus, ut gladiorum capuli pro emblematibus haberent certa generis & propaginis ſigna. Itaque & Theſeus ait apud Senecam in Hippolyto:

Regale parvis aſperum ſignis ebur
Capulo refulget gentis Actææ decus.

Sed quid de Theſeo dici poteſt, quod non occupavit induſtria Jo. Meurſii, libro ſingulari eum perſpiciens. Quod unum ab eo prætermiſsum fuit, & ad hanc operam pertinet, ac perinde attendi debuit, ac coma, quam tondet capite ſecundo; eſt, quod quum noſtri vultus ſint glabri, Lucianus tamen teſtetur barbatum fuiſse, in Cynico. *Quid Theſeus, Herculis diſcipulus? an non rex erat Athenienſium omnium, ac filius etiam, ut ferunt, Neptuni, ſua certe tempeſtate fortiſſimus. Attamen ille voluit ſine calceis eſſe, nuduſque ingredi, barbamque & comam habere placuit* [b]. At


a. Ὁ πέτρας ἀσκέρας ἀνειρύσας κ̀ φασγάνυ ζωςῆρα κ̀ ξίφος πατρὸς.

b. Ὁ δὲ Θησεὺς ὁ τέτυ μαθητὴς, ἐ βασιλεὺς μὲν ἦν πάντων Ἀθηναίων, υἱὸς δὲ Ποσειδῶνος ὥς φασιν, ἄριςος δὲ τ̃ καθ' αὐτόν; ἀλλ' ὅμως κἀκεῖνος ἤθελεν ἀνυπόδητος εἶναι, κ̀ γυμνὸς βαδίζειν, κ̀ πώγωνα κ̀ κόμην ἔχειν ἤρεσκεν αὐτῷ.

noſtri vultus ſunt glabri , qualis ille ab Leon. Auguſtino productus parte I. tab. 57. qui videtur is ipſe eſſe , quem habuit etiam Caninus . Alter ex nummo Phæſtiorum in Goltzii inſu-



lis , quem nemo tangit . Sed hiſtoria utriuſque continet factum Theſei juvenis .


IOLE SVPERBIENS
Herculis exuviis.

I O L E.



Ut pateat, quod modo dixi, ipſa illa Dejanira in noto ſatis Ovidii loco vituperat hinc Herculem, quod quum aut ipſa nunquam tentaverit, aut Hercules illi non permiſerit facere, nunc Iolen audiat exſultabundam incedere:

O pudor! hirſuti coſtis exuta leonis
Aſpera texerunt vellera molle latus.
Falleris, & neſcis: non ſunt ſpolia illa leonis,
Sed tua: tuque feræ victor es, illa tui.
Fæmina tela tulit Lernæis atra venenis,
Ferre gravem lana vix ſatis apta colum,
Inſtruxitque manum clava domitrice ferarum,
Vidit & in ſpeculo conjugis arma ſui.

Hi verſus coegerunt tam Auguſtinum ad 1. 113. hanc ipſam cum alia ex gemmis publicantem effigies, quam interpretem Palatini Theſauri, claros in his ſpectandis arbitros, duas imagines Iolæ tribuere, quum illi verſus ſane hanc figuram expreſſe deſcribant, ſic tamen, ut Auguſtinus ſuſpicetur quoque de Omphale. Et ut nunc eſt, facile nos damus hanc ipſorum auctoritati veniam, ut eo nomine inſigniri patiamur. Cæterum prorſus non puto hac in parte ambigendum. Equidem Ovidius ſubſervit illic perſonæ, quam introducebat muliebriter exprobrantem & zelotypiæ verba ejicientem; non utique quod ita fabulæ teſtentur factum. Iolæ non videtur inſerviiſſe Hercules, quæ ideo accepit irritamen amoris ab centauro Neſſo, & fama tantum tulit ad Dejaniræ aures Herculem Ioles amore teneri, vix certo rumore, unde eam junxit & commendavit Hyllo filio. Itaque certiora quædam huc afferenda ſunt ad decernendum, & probandum ex antiquorum teſtimoniis, utra harum ſic ſolita fuerit ab pictoribus aut ſtatuariis adornari. Ad eam rem, opinor, & certiſſimas Omphalæ modo veſtitæ, modo nudæ, vindicias, ſufficiunt unica verba Luciani de conſcribenda hiſtoria. *Veriſimile eſt te vidiſſe aliquando pictum Herculem in Lydia, ſervientem Omphalæ, plane alieno paratu excultum, illam quidem leonina ejus pelle circumjectam,* (id plane exprimunt gemmæ Leonardi) *& habentem in manu clavam, quaſi eſſet Hercules* [a]. Inde patet iſtam materiam placuiſſe pictoribus, & frequenter propoſitas fuiſſe hujus generis tabulas: adeo ut unus hic locus manifeſte decidat, præſertim quum & Ovidius in Bacchi feſto idem factum eſſe ab Omphale teſtetur. Itaque huc quoque reſpicit carmen ab Sponio Venetiis deſcriptum ex marmore, ſed quod ipſe vidit jam notum Anthologiæ in Miſcellaneis pag. 51.

a. Ἑωρακέναι γάρ πού σε εἰκὸς γεγραμμένον, τὸν ἐν Λυδίᾳ Ἡρακλέα, τῇ Ὀμφάλῃ δουλεύοντα, πάνυ ἀλλόκοτον σκευὴν ἐσκευασμένον, ἐκείνην μὲν τὸν λέοντα αὐτοῦ περιβεβλημένην, καὶ τὸ ξύλον ἐν τῇ χειρὶ ἔχουσαν, ὡς Ἡρακλέα δῆθεν οὖσαν.



PHAEDRA
Hippolyti pernicies.

PHÆDRA.



ELIX erat publice privatimque Theſeus, & injuriam Ariadnæ levaverat conſecratio ejus & alter maritus Bacchus. Sed inebriatus erat Cretica & Minoidis laſcivia. Hinc non ſuffecit illi poſtea conſuetio Amazonica, ſive Antiopen habuerit, ſive Hippolyten; occiſa illa vel etiamnum viva ſumpſit conjugem alteram Creſſam, hanc Phædram, & quidem ſororem prioris, ſcilicet ut omnia haberet ſororia & ſimilia, & infelicitati ſuæ & magno miſeriarum numero daret exordium. Etenim ſive offenſa Veneris in ſolis progeniem incenſa & ſævire ſolita, hanc quoque ejus neptem ſtimularit; ſeu proprio mentis vitio ardens, non potuit ut mater aut noverca amare præſtantem forma & indole privignum. Sed vel in Eleuſiniorum myſteriis, vel in ſtadii exercitationibus (in utroque enim auctores ſunt) viſu inconceſſo eum perſpeculata, conceptum ignem eo uſque aluit, ut flammam ejus fateretur. Res affatim miranda, quum bene noſſet leges Cretenſium, præſertim in Gnoſſo, utpote illis innutrita, adulteria tam gravi ſupplicio, quod refert Ælianus lib. XII. Var. Hiſt. cap. 12. punire: & nunc viveret in Attica, ubi per iſta tempora etiam voluntas libidinoſa non erat ſine vindicta pœnæ, utique in adulterio, multo magis ut culparetur. Sed ſurda privigni pietate, faſtiditam ſe dolens, & tamen ſcelus ſceleri addens, ut patrem quoque concitaret in filium, atque ita undiquaque facinoribus commota mente, ut ſpiritum laqueo denique redderet, privignum ſeque & maritum funditus perdidit. Res tragœdiis decantata. Hanc igitur ab Theſeo removere non potui, & quum ſero demum iſti marito fuerit petita, ipſum Theſea ad hos uſque annos continere debui, nt poſtremæ uxori adjungeretur. Hanc vero effigiem ex nummo, cui nomen inſcriptum erat, ſublegit Caninus, quem tamen non video cuiquam alii obſervatum.



OEDIPVS

Sphinga aſpiciens & aenigma conſiderans.

OEDIPUS.




NEC ultra Thesei ætatem differri Oedipus, magna sane fabularium narrationum complexio, potest; siquidem hic post exantlatam tragicarum cladium multitudinem excæcatus denique ab illo Atheniensium rege exceptus scribitur apud Apollodorum lib. III. quum etiam filii ejus Polynicis adventus Argos ad Adrastum celebretur ita, ut Tydeus Oenei filius simul illic fuerit: quin etiam stemma ejus ita procedens, (Cadmus, Polydorus, Labdacus, Lajus, Oepidus,) quo quintus a Cadmo probatur esse, ætatem ejus constituit. Hic igitur Laii filius egregie hic spectandus datur, quum progressus ad Phicium montem audivit Sphingem desuper pronuntiantem ænigma quod didicerat ab Musis [a], & pervulgatum est. Itaque eam suspiciens, digito labia compescens, se ostendit meditationi intentum, chlamydatus & hastatus, utpote in aula Polybi Corinthiorum regis educatus pro ipsius filio, ducis ad instar, corpore præstanti ac plane super æquales robore excellens [b]. In gemmis hic Oedipus etiam cum Sphinge in rupe exhiberi solet, quarum unam edidit Stephanonius a me inter Gorlæana conjectam num. 526. Sed & Pignorius in imaginibus Chartarii pag. 247. alterum habet, sed vestitum & nescio qui armatum, quum & hic & Stephanonianus chlamyde in tergum dependente, cætera nudum proferat. Sed diversus ab utroque hic est, *ex Nasoniano monumento* petitus, ubi hasta additur, & equus, quem loris freni retinet vir item hastatus & loricatus, sed quem hic prætermisi, ubi solum Oedipum quærimus: & forsan ad illud ipsum monumentum aliquando plura, quoniam parum bene plurima intellecta.

a. Legendum enim in Apollodoro lib. III. *μαθοῦσα δὲ αἰνιγμάτι παρὰ Μουσῶν*, non *αἰνίγματα*, quum nonnisi unum Sphingis ænigma cognoscatur.

b. *Διαφέρων τῶν ἡλίκων ἐν ῥώμῃ.*





TOMVS HEROS


Conditor Urbis Tomorum

Apud Fulvium Ursinum in numismate aereo.

TOMUS.



PARITER ad hanc ætatem primæ per Theſſalos navigationis referri oportere hunc heroa, &, ut crediderunt, conditorem urbis inclitæ non tantum origine & appellationis cauſa, ſed & incrementorum fatis & miſerabilis tandem exulis receptu, denique felicitatis auctu, ut Metropolis Ponti ſub Cæſaribus in nummis prædicetur, res ipſa dicit; quum Medeæ frater in ejus ſede celebretur diſſectus in fruſta & paſſim ſparſus, ut apud poetas ubique, ita apud Grammaticos & Hiſtoricos ſæpe. Hoc debuit commentis tragicis Jolciacæ navigationis addi complementum, quod ipſa Græcorum lingua tam commode ſubjiciebat; & nobis quoque placere debet, ut inde colligatur antiquitas loci, quæ ad hæc tempora ſe extenderet, unde fabulationem ſuam cum veritatis illo prætextu licuit aliis ſecure arceſſere. Debuit poetis ad deſcribendum & ſignandum hunc locum inſervire Abſyrtus, quicquid etiam rejicerent ac detrectarent incolæ. Qui licet ipſi quoque Græci, licet coloni Mileſiorum; ſpernentes tamen hoc dulcedinis poeticæ condimentum venerati ſunt & agnoverunt Tomum heroa & auctorem ſi non ipſius urbis, certe appellationis. Hunc igitur ad exemplum ab *Ful. Urſino* publicatum expoſuimus in hac tabella. In Speciminis nuper vulgati priore editione tab.16. video Tomum poni ex nummo, in cujus altera area racemus; in ſecunda tab.25. ex alio regio, ubi averſo latere exhibetur Hercules innitens clavæ & comprimens in medio anguem. Verum uterque illic oſtentat mentum non ita glabrum, ſed ſatis denſa lanugine per inferiores partes uſque ad aures obſi-



tum, ut videre eſt ex his illorum imitamentis. Horum neuter quum ſub oculos meos venerit, haud facile dixero, unde iſta ei creverit. Forſan vidit Ovidius. De origine nihil affertur. Fortaſſis fuerit inter filios Apollinis, vel Herculis, qui tantum non incipient.





REGINA AMAZONVM.

REGINA AMAZONUM.




NON debet hinc exſulare inſignis notitia, quam ex utroque mundi latere, meridiano ſimul & ſeptentrionali, ad Græcos ſuos ſi non primus, quod fere credere licet, hic Hercules nauta maritimus detulerit, duntaxat ipſius tempore illuc veniſſe ſtatuemus, utique claram certamque; quum ſi fabulas ſequamur, ipſe Euryſtheus videatur indicium Herculi prior dediſſe, imperans hujus duplicis ſtipendii operam. Harum ſeptentrionalis eſt Amazonum vita, quæ inter nomina fabuloſas ætates illuſtrantia habuerunt ſane magnam partem; quippe quarum bellica facinora ab ipſo Ponto non minorem modo Aſiam, ſed Græcas quoque terras, & quod mirum, ipſam Atticam, immo & Athenas laude & ſtatione ſua impleverunt. Neque tamen alia, quam hac potiſſimum labente ætate, quum poſt bellum Trojanum, quod inſtat, evanuerint illæ Marte tanquam genitore gloriantes, imo etiam locum ſacrantes Acmonium, teſtem conſuetudinis inter iſtum Martem & Armoniam, ut annotavit Stephanus: adeo ut quodcunque illud imperium, vel tumultus ex Scythia fuerit, certe non diu ſteterit; niſi retro in longinquam vetuſtatem abire placet. Harum formam, notabilem quoque Alexandri militibus ob inſolitum fæminis habitum, præbet hæc effigies, quam ex Ang. Canino collegi, ab ipſo ſumptam ex vitri priſci fragmento; ſed & nunc conſpiciendam nobis, quia & pectoris apparatus longe eſt diverſus ab aliis cælaturis, & nodo comas coegit, ut loquitur Seneca, nec bipennis eam ſuccingit, ſed ſecuris ab una parte latior, ab altera in mucronem coiens (niſi defractum aliquid ſit, quod videtur, & conjiciebat quoque Cl. Petitus: quid enim carpetur opificis inſcitia?) capite interim diademato, ut reginam agnoſcas & aliquam ex eis, quas nominat Juſtinus libro 11. cap. 4. aut Higinus fab. CLXIII. quum interim multa aliarum nomina hic illic occurrant. Aliam Amazonas incoctas habentem lucernam publicavit Fortun. Licetus in ſcripti iſtius pagina 886. cujus operculi ſuperficiem hic appoſui, etſi ſatis huic regioni notam ex iteratione Petiti, ſed cum inſigni negligentia: quum anſas peltæ, per



quas

quas inferitur brachium, tres oftentet, quas duas tantum vides in archetypo, nec plures fuiffe fignificet ipfe in Lipfiana pelta fine capitis XXVI. Par negligentia committitur in Regina noftra, ut gyros nodum in crinibus nectentes ipfe modo exhibeat duos, quum tres proferat Caninus, & clavum infigni capite cudat, quo ferrum haftili adfigatur, quem nullum habet Caninus. Hæc vitari & rideri oportet; & hæ faltem nunc revocari, ut ex fingulis infpectis colligas eadem arma, fed non caput ita ligatum, non crines collectos, etiam ubere dextro illic integro & exferto: ut fic & reginam & minorum gentium fæminas cernamus in bello verfantes cum armis, quæ Hercules jubebatur inde in Græciam deferre.



HESPERIDES
et earum hortus.

HESPERIDES.



LTERA, quæ etiam jungi huic debet, & quidem hoc ordine, quoniam in ea continetur Herculis nostri undecimum aut postremum athlon, si fides illis qui ea in numerum & seriem mittunt: hæc inquam altera ex meridie, est felicitas Hesperidum, ut dicebantur, fæminarum trium; quæ quum filiæ ederentur Hesperi, fratris Atlantis, hoc est, idem monti Atlanti fere originis principium haberent, latitarunt tamen ignobiles, nec nisi hoc tempore apud Græcos famam aliquam habere cœperunt. Hæ meros incolebant hortos, & fructus erant vel tantum aurei, vel inter reliquos aderant quoque aurei, quorum opinio stimulavit Eurystheum, ut Herculi hoc stipendium imperaret. Itaque hanc ætatem illis tribuit chronologia Græca; Africana autem, quum Pharusii essent adhuc dites. Verum notissima est Græca fabulatio, & non libris literisque modo tradita, sed etiam æri & marmoribus. Neque enim viri docti & faventes his studiis omiserunt nummos huc pertinentes publicare: sed in quibus nihil notabile, quum fere exhibeant arborem cum quinque pomis, cujus truncum circumdat gyris suis draco, nunc adstante Hercule & levante clavam ad ictum draconi hianti & rictum extendenti inferendum, nunc post occisum jam draconem & caput ideo dependens habentem vellente fructus. Quos duos quum nobilis Erizzus primus protulerit & tam integros, quam post sunt inventi, ut illi gratia ista sit habenda, nescio cur non puduerit alios eam conari avertere. Quin etiam testatur Erizzus circumiisse multas literas Græcas, sed ærugine lectionem auferente. Cur placet igitur cavillari Tristanum, quod sine inscriptione ulla aut nota loci eundem ediderit? Sed toties in monumentis antiquis occurrit circumvolutus alicui rei oblongæ serpens, ut prorsus eo spectaculo hic non careamus. Unde nec ego hanc partem vel tetigissem, nisi ipsas Hesperidas licuisset cernere, in quibus fabulæ caput. Quas quum eximie depingat hic nummus *regiæ apud Gallos gazæ* sub Antonino Pio cusus, omnino hunc locum eis adsignari oportuit. Vides ipsas tres mærentes hac rapina Græci herois & aversas & interim respicientes, si deprecari possint Herculem, egregio artificio sic anxiam & querulam earum sollicitudinem exprimente. Has ita jungit monumentum, quod scio, nullum. Sed quum

varia marmora eas ſingulas exhibeant , judicavi ad ornatum & perfectionem hujus loculi pertinere, ut iſta adjicerentur.


He[illegible] inter Heſperides Romanus in hortis Mediceoru



Hercules cum Hesperide Beneuentanus



Hercules cum Hesperide Anagni[illegible]



SMYRNA
Amazon, et ſmyrnae urbis origo.


S M Y R N A.



HERCULI ſatisfactum eſt & nuncio, quod ex peregrinis locis apportavit; non nobis, non huic Theſauro. Amplius aliquid in Amazonibus noſſe libet, & ulterius ſpectare quaſdam in eis nomine & fama excellentiores ac diſtinctas, ſi quas firma monumenta ſuppeditant. In his eſt gravis hæc Smyrna. Quum priores habitum bellicum indicent, ut ex earum numero, quæ profectæ erant ad procinctum; iſta pacatum præ ſe fert, qualem habebat ex ſororibus reginis ea, quæ domi remanebat ad imperii negotia. Equidem quum dicantur eæ circumvagatæ fuiſſe, hinc etiam interveniente illis Græcorum ingenio, appellatio earum debuit duci ex Græco ſermone, qui non forſan, ſed certiſſime longe poſt hanc illis inditam ad eas oras pervenit. Scribit Tacitus lib. III. annal. c. 61. *Mox Liberum Patrem bello victorem ſupplicibus Amazonum, quæ aram inſederant, ignoviſſe.* Sicut etiam in Liberi thyaſo Amazonas agnoſcunt alii in capite XLII. ſyntagmatis Petri Petiti de his fæminis, ubi hoc teſtimonium non video. Iſto igitur tempore (credimus?) & diu ante, quum tunc ſcribantur Amazones aliquamdiu fuiſſe, imo priuſquam Græcis innoteſcerent, iam circa Scythiam valuerit Grammatica, ut vel MAZA vel MAZOS ita jactari debuerint, etiam ab ipſo doctiſſimo Petito cap. 14. Sed MAZAN poſtea rejiciens cap. 28. non dubitat etiam cap. 30. advertere Smyrnæ filiam Amazona nomine ex Stephano, ut cap. 31. alteram adhuc ex Euſtathio in Dionyſium velut Epheſi filiam nomine Amazo. Utique Smyrnæi, quanquam tunc quoque Græci generis, refutarunt iſtam Amazonum etymologiam, qua longe convenientior dari poteſt, & quidem non una. Itaque monetæ ſuæ impoſuerunt parentem Smyrnam plane, non unimammam, vel unam ex Plauti claſſe unomammia, ſed prorſus in illa parte & gratiſſimo adſpectu plenam ac luculentam & adeo nihil ibi mutilam, ut ſcires literam primam adhibitam potius, quæ intenderet ſignificationem. Hanc igitur Amazona Smyrnam circumſpecte conatus fuit probare Cl. Seguinus ex Strabone. Sed univerſum totius corporis habitum præbet nummus ab Sponio & Whelero in-



de exportatus & publicatus in itinerariis, cui ſimiles ſunt apud Petitum cap. 26. & 31. ubi eas fæminas, prout hodie ſpectari poſſunt, diligenter collegit.


MYRELA
Amazon urbe cognomine illustris.


MYRLEA.



Habet quoque Petitus hiſtoriam Amazonum duarum cap.26. (ſed quarum alteram cap.XL. mox aſpicit pro viro Thermodonte) inter lucernas editam in Italia, & quidquid ullo modo ad illas referre potuit. Latitabat tamen inter eaſdem quaſi non ſatis lucidas hæc una facies, quam jure & ex fide produco. Illam cenſeo appellari Myrleam, quam dixerunt nonnulli condidiſſe urbem ſuo nomine in Bithynia inclitam, inter quos fuit quoque Stephanus, & ex eo notavit cap. 36. doctus noſter Petitus. Sed etſi forſan hanc etiam viderit, a notitia tamen ejus perinde remotus fuit ipſe ac primus editor pag. 734. Sed ne hinc putes temerarium fabri aut figuli opus, Licetus ex nummo hanc effigiem promit, in cujus altero latere eſt inſtar lucernæ ad formam cymbii, cui ſuperpoſitum aliquid globoſum, radiis XIV. circumdatum, fere ad inſtar ejus, quod in priore Acarnanum numiſmate Goltzius exhibet cum tribus radiis; ſed in ſequente id fere convertunt in navis roſtrum. Habet adſcriptas in orbem literas, ſed ut ſæpe fit, intortas inverſaſque hoc modo V d λ M. Unde ne quid verum aut probabile in men-



tem viri perquam ſolertis veniret, omiſſa vicina Græcia tranſiit ad Ægyptiam ſophiſticam, & putavit inveniſſe arcanum aliquod ΕΥΡΑ, quod nunquam aut urbi aut monetario in animo fuit; ſed vere eſt principium nominis ΜΥΡΛΕΙΑ, non jam bellis gerendis intenta aut his parata, ſed pacatior & ipſa, quam Myrleani ſic honorandam putaverunt, & nobis tanto jucundior, quanto minus cognita non ſolum ipſa, ſed univerſa Myrleæ urbis moneta, quam nullam huc uſque vel protulerunt vel cognoverunt illi, quos hæc ſtudiorum pars extulit & ad ſcribendum commovit, ſed tantum ſub titulo Apameæ; quum tamen libenter id faceret Vaillantius in Coloniis tom.II. pag.24. Neque tamen ita agimus, ut in iſtis literis V d λ M utique ipſam vocem ΜΥΡΛΕΙΑΝ ſignificari velim; ſed ſtatuo initium eſſe vocis ΜΥΡΛΕΑΝΩΝ, Myrleenſium, veteris incolarum nominis, antequam Apamenos diceret Nicomedes, qui & fæminam Amazona Myrleam venerati ſunt, a qua oppidum eſſet conditum.




SIPYLVS

celebris ex monte cognomine.

SIPYLUS.



Hoc virile caput locum quoque conſpicuum in hoc choro tueri poteſt, & mulieribus præcedentibus anectendum eſſe præcipit hiſtoria Diodori Siculi. Quanquam enim & mons ille ſupponi debeat ab principio fuiſse, & urbs eodem nomine dicatur jam Tantali temporibus abſorpta eſse, ut vult Plutarchus, ira Deorum, ut hunc punirent; tamen hiſtoriæ Amazonum innectitur proprie hiſtoria ejus viri ab Diodoro Siculo lib.III. cap.55. quaſi ille, oriundus Scythia vicina Thraciæ, temporibus Lycurgi Thracici, una cum Mopſo res geſserit contra Amazonas, etiam prælio commiſso, in quo regina earum Myrina perierit. Quod auctoris illius fragmentum tanto notabilius eſt, quia alia hujus Scythæ memoria in vetere hiſtoria vix ſupereſt, niſi in appellatione urbis vel montis vicini. Sed ſcilicet ita tradiderunt Sipyleni, ab iſto manſiſse illud in Lydia nomen, unde id quoque uni ex Niobidis, qui ad ſtrepitum & auditum ſagittæ exterritus iram Apollinis fugere meditabatur, fuerit inditum apud Ovidium & Apollodorum. Horum igitur narrationem ab Diodoro explanatam congrua teſtatione corroborat hic nummus vultuſque jam antea quidem notus, & ab nonnullis indicatus, ſed prolatus ab Cl. Petito de Amazonibus. Præferenda enim iſta videtur illi turgidæ tragicorum facinorum fœditati, quæ legitur in libello de fluminibus, qui ſub Plutarchi nomine exſtat, ubi de Mæandro ſcribitur, quaſi Agenoris & Dioxippæ filius & matricida furiis ſtimulantibus huc venerit. Accepit igitur, & occaſione ex Scythis deducente, & iſto tempore, appellationem mons iſte, quantis poſtea monumentis inclareſcens? Nobis quidem grata ejus & appoſitæ urbis Magneſiæ debet eſse recordatio vel ob ſolum M. Tullii Ciceronis caput, illud adhuc amabile & naturali dulcedine lætum, non curis ac belli civilis ærumnoſa cogitatione fractum & corrugatum, moneta ejus cuſtoditum. Sed olim quantus? Ferme enim conſecratus fuit inter gentiles non ſolum Niobes ſaxo, atque etiam lacrimis, ſed præcipue religione Magnæ Matris, adeo ut vicinæ quoque nationes hinc eam dignatæ fuerint nominare SIPYLENEN, velut cedentes hoc honore venuſtati hujus montis, qui ſolus genium ejus rite colendæ haberet. Quæ notitia quum per tot tempeſtates integra ad nos permanaverit, non oportuit viros doctrinæ gloria ductos locum Strabonis tam acriter & crebro aggredi, quaſi in ætate noſtra non ſatis cito fuiſset inveſtigatum & patefactum pro ΠΥΛΗΝΗΝ in eo ſcribi debere ΣΙΠΥΛΗΝΗΝ. Vide Cl. Pet. Petiti paginas capitis XXXIV. de Amazonibus bonas, ſed parum neceſſarias.



HERCVLIS pugna
cum *AMAZONE*

HERCULIS PUGNA CUM AMAZONE.



EC tenor propoſiti operis legitime procederet, nec ab invidiæ vel inertiæ ſuſpicione excuſari poſſet, ſi præcipuum ſpectaculum, cujus ergo Amazonas in hanc ſeriem conduximus, omitteretur, præſertim quum faveat ubertas Heracleæ Ponticæ & victrix ſtudiorum felicitas & Triſtani comis benignitas. Non difficulter unuſquiſque intelligit id contineri in pugna ipſius Herculis cum Amazone, prout eam ex fabuloſa relatione antiqui exhibuerunt. Id patet ex appoſita tabula; ubi ſicut fabulæ ſupponunt pedibus circumiviſſe Herculem clava ſola armatum & leonis pelle, edomuiſſe, quidquid hoſtile erat; ita oſtendit ſolum Herculem, (cujus ea proceritas fuerit, ut imus venter adæquaverit dorſi equini altitudinem) non pugnantem, ſed inſtar pugnantis levata clava urgentem inſtantemque ita ut conetur retinere ſiniſtra Amazonem; quæ equitans quidem, ſed exarmata, & plane ita abjectis armis, ut ibi non compareant, ad indicium mutati jam loci, in quo pugna commiſſa fuerat, (cur igitur dicit nonnemo in hoc nummo Threiciam Amazona baltheo ſpoliare Herculem?) eripere ſe & aufugere (fugientem dicit Harduinus) nititur. Sic enim hæc explanare debui & explananda cenſeo, quæ minute & jejune inſpicit Triſtanus. Certe ab pedite eo iſtud confectum eſſe ſcribit Apollonius Rhodius [a]. Hoc fabulæ commentum ita declaratur ab juſta hiſtoria, ut dicat Herculem longis novem navibus ad Amazonas profectum comitante principum Græciæ juventute inopinantes eas fuiſſe aggreſſum, ideoque facilem victoriam ex illis habuiſſe. Poſt hæc ſeria igitur, niſi fallor, dabitur mihi venia ludendi, ut poſtquam multa de Amazonibus præmiſſa ſunt, nunc ipſam quoque hanc appellationem propius tangam; & negligens quidquid eſt Græculæ inventionis, ac ſpernens illas etymologias ad mammam aut farinam vocantes [b], etiam præteriens illam de convictu muliebri [c], fatear me opinari eſſe originem & vocem mere Scythicam, qualis ipſa fuit natio. Id ſine vitio, ut puto, colligitur ex altero Scythico nomine, quod in Toxari edit Lucianus AMIΖΩΚΗΣ, plane idem, niſi quod virile. Hujus vocis, quam fere totam in noſtris fæminis vides, ſecunda ſyllaba mutationem paſſa fuit, quam mirari non oportet, quum eadem contigerit etiam in Scythicæ linguæ appellatione urbis Sinopes, quam Græci ita dixerunt, quum antea Sanape vocaretur teſte ſcholiaſte Apollonii Rhodii,

a. Lib. II. verſ. 779. ὅτε δεῦρο δι' Ἀσίδος ἠπείροιο Πεζὸς ἔβη ζωστῆρα φιλοπτολέμοιο κομίζων Ἱππολύτης. Ubi Scholiaſtes teſtatur eum loqui ἀκολούθως τῷ μύθῳ.


b. Ἀνεὺ vel μαζῶ vel μάζης.

c. Ἅμα ζώσας.

prorſus facta commutatione literarum A & I, ſed contrario modo, ut in fæminis Græci amaverint primam vocalem, in urbe tertiam. Nec aliunde dicitur urbs Amiſus. Recte explicant Triſtanus & Harduinus hunc nummum ex Diodoro Siculo IV. cap. 16. Sed id miror, quemadmodum ejus ſcriptoris verba hæc [a] ita intelligere potuerint. *Itaque in Pontum navigans, cui ab eo nomen Euxini factum*, præeunte Triſtano *& s' embarqua avec ſes gens ſur le Pont Euxin, ainſi nommee par luy*. Non ita credidit Lucianus ab Hercule id mutatum nomen, ut in eodem Toxari, adhuc Oreſtæ & Pyladæ tempore AXENON eum vocari ſcripſerit. Non item id crediderunt alii, ut conſtat. Immo locutio iſta [b] dicitur de tempore, ut vox XPONOY intelligatur. Nec id utique tunc contigit in navigatione Herculis, ſed paulatim ab eo tempore miteſcentibus rebus ita vocatus fuit.

a. Πλεύσας οὖν εἰς τὸν ἀπ' ἐκείνου Εὔξεινον κληθέντα Πόντον.

b. Ἀπ' ἐκείνου.



HERCVLIS pugna cum *STYMPHALIDE*.


STYMPHALIS.



NEQUE vero etiam oportet modum destinati voluminis excedere annumerando vel ipsa duodecim Herculis athla, vel arcessendo huc ejusdem parerga. Nam & Herculis omnia plena esse video, & unum consideravisse in clava heroem pro tempore satis & instar omnium fuit. Sed neque tanti est leonem aprumve, cervum, equum aut viros videre confectos, vario quidem corporum positu, sed quem facile quis animo fingere ex descriptionibus possit. Stymphalidas video solas esse, quæ negotium desiderantibus faciunt. Has in nummis gentium Romanarum apud Valerios imaginantur se vidisse, ubi quam bene alii exprimunt faciem humanam in volucri, tam recte alii interpretantur arma, quæ sic lateri adjuncta sunt, quasi ala teneret. Etiam in marmore Oxoniensi nonnemo illas depingit, ita ut non solum sibi persuadeat, sed magna virium mole alios quoque illuc trahat, quum tot molestiæ in ea contemplatione excitentur per ipsum auctorem, ut facile pateat omnia vacillare: quanquam in utroque specimine illas detorquentes ab vero interpretationes locus erit alibi examinandi. Nunc laudandus est industrius ille nummorum veterum custos & interpres Car. Patinus, qui quum in Thesauro suo edidisset exesum ab situ & hinc obscuriorem Temenothyrensium hunc nummum [a], tamen suspicatus profecto acute de hac ave, postea ex thesauro Mauroceno integriorem clarioremque nactus, sine dubio primus patefecit, & laudes gratesque meritus est, quem audiamus licet sibi recte in explicando sic applaudentem: *Gratulor certe mihi elegantissimam Stymphalidum fabulam promulgasse, quam in nullo alio antiquo monumento observasse unquam contigit. Nonne victor Hercules crepitaculo suo, quo Stymphalidas fugaverat, Palladi beneficæ gratias agere posterisque consignare videtur?* Macte hac laude manes ejus, quem amavi! Sed & ad conspectum numismatis egregie faciunt verba Higini fab.xxx. *Aves Stymphalides in insula Martis, quæ emissis pennis suis jaculabantur ut sagittis, interfecit.* Sic enim scribendum illic necessario esse ut hic nummus docet, ita Higinus ipse postulat, qui ubi dicit in illo capite *necavit*, *interfecit*, *occidit*, non solet addere instrumentum, quo ad eam rem usus fuit, nisi in solo Geryone trimembri, ubi unum telum addebat aliquid venustatis.

a. Quod minime mirari oportet, quum per hos ipsos menses ita eundem ediderint in nummis regiis.






ADMETA
Samiae Iunonis facerdos

ADMETA.



PROXIME etiam ad Herculis ætatem accedit hæc Admeta. Erat enim ipsius Argivorum regis Eurysthei filia. Ob hoc generis privilegium quum sacerdotio Junonis Argivæ fungeretur, quod per annos 38. tenuisse dicitur, tandem Argis profuga, hoc est, post patris mortem ab Argivis expulsa, ut explicat Valesius, Samum se recepit. In hac insula etiam traditur ei oblata esse species Junonis. Propterea, nec minus gratæ voluntatis ergo, in ea insula ædem ac simulacrum Junonis & constituit, & quum per insidias fuisset ablatum, recuperavit. Quæ ex Menodoto Samio excerpta fuerunt ab Athenæo lib.xv. & ut dixi, illustrantur ab magno illo Musæ nostræ sacerdote Henr. Valesio ad Polybii Peiresciana, ubi nominum, quæ supersunt, sacerdotalium indicem contexuit, satis ingrate & inverecunde descriptum ab Marshamo in Chronico canone pag.127. Inter solennia hujus sacerdotii apud Junonem Argivam vel præcipuum & assiduum fuisse apparet, ut sacerdos ipsa peteret aquam ex quocunque vivo fonte. Hunc ignoramus quidem, sed quem vicinum & ad hos ritus sacrum habuerunt, ut caste operarentur, ex cærimoniarum gentilium usu passim adnotato, & vel per ipsam Tarpejam satis celebri. Sic nostra tenet suam hydriam.




HYLLVS
Herculis filius.

HYLLUS.



PLACUIT hoc nomen Herculi, unde id creditur indidiſſe non uni filio. Jam olim conſpectus fuit & annotatus ſingularis locus Apollonii Rhodii ex libro quarto, etiam citatus Stephano Byzantio, unde memoraret Hyllum ex Melite; ſed non omittit nominare quoque alterum ex Deianira genitum, ut faciunt etiam alii auctores, quod conſtat: immo ne his quidem Hyllis contenti producunt nomine eodem alios. Nec nobis placet repetere ab illis dicta; liceat Fabro vitioſe geminum Λ conſiderare: liceat Canino eum reprehendere. Certe quum in ipſis gemmis poſitum ſit ΥΛΛΟΥ, ridiculum eſt de Hyla & non de Hyllo cogitare. Id notabile eſt, quod caput id cingatur diademate, quum Hyllus Rex legatur nuſpiam. Apud Diodorum videmus Hyllum quidem fuiſſe caput Heraclidarum terras ac ſedes petentium, & in ſpem regni decertaviſſe infeliciter, a quo dux [a] deſcribitur: cui ſane laurea potius conveniret, quam diadema. Unde videtur in his vultibus deſignari Hyllus, quem teſtatur Scylax Hyllinos in Illyrico dicere iſtic habitaſſe, ut Græcum verbum [b] interpretantur, quod conſtat tamen ſignificare etiam *coloniam duxiſſe*, ita ut gens ipſa ab eo ſe appellari toleraverit. Utique hæc gentis appellatio confirmat ſedem ejus in iſtis locis, & quidem cum quadam majeſtate; quibus quum vicina eſſet Epirus, potuit facile Lanaſſa neptis ejus ex filio Cleode in iſtam regionem transferri, ut poſtea harum gentium regiæ familiæ ſæpe amaverunt nuptiis miſceri, forſan hinc initio facto. Sic ſatis ſupponitur illum eſſe, quem regia dignitate iſtic honoratum in mundo vixiſſe teſtatur *hæc Canini gemma*: cui, nequid deſiderari in hoc genere poſſet, ap-



poſui ſimul Fulvianam; in qua tamen contineri Hyllum ſi credere velit Caninus perinde ut Fulvius, nihil intercedo, dum mihi liceat fateri caput iſtud plane alienum videri & nomen quoque ob longe aliam cauſam adſculptum eſſe.

a. Στρατηγῶν.

b. Αὐτῶ κατοικῆσαι.


AVENTINVS HEROS
Aventino Monte sacratus .


AVENTINUS.



ANTUM valuit Latini poetæ auctoritas, ut credatur istud nomen exstitisse inter Herculis filios, quia ipse dixit, *Satus Hercule pulchro Pulcher Aventinus:* & ne ambigere causeris illum esse, patet ex sequentibus

Ipse pedes tegmen torquens immane leonis,
Terribili impexum seta, cum dentibus albis,
Indutus capiti.

Hæc ille lib. VII. Neque dubito in hac ambiguitate, quæ illic apud Servium apparet, Virgilium, etsi non liquide fuerit, voluisse tamen poetico jure innuere se censere, appellationem istam, in Latio satis vel in historia fere omnis temporis vel in ore & sermone quotidiano satis notam, ab hoc ducere originem, quomodocunque ea tandem inhæserit uni ex Romæ collibus; de quo suspicantur verius scriptores, quam sciunt. Scilicet quum hariolarentur Grammatici, & ad diversa flecterent; etiam historici cæce ad regnum Albanum respicerent, judicavit vetustiorem esse Romani collis appellationem. Nihil autem certius constabat in istis antiquitatibus, quam Herculem illic fuisse, & ut alibi, sic quoque ad Tiberim voluisse relinquere peregrinationis suæ vestigia quibuscunque modis. Inde igitur volente Hercule & favente Virgilii ingenio, quo nihil excellentius, deducatur Aventinus. Aliud hujus exemplum servatur Romæ in villa Pamphilia, quod adnectere censui.







EVRYPYLVS HEROS
apud Pergamenos.

EURYPYLUS.




TSI memorentur plures, attamen hic ille Priami ſororis Aſtyoches & Telephi filius, prima etiam juventa in bello Trojano fraudatus: cæterum poſt Memnona formoſiſſimus, & ad hanc formulam laudationem Homeri meritus. Neque enim alium (nam plures fuiſſe liquet, ac præcipuum in Africa refert Apollonius Rhodius IV. 1561.) hunc heroa judicamus, quam quem iſto nomine dignatus ille vates ad poſteros celebravit. Qui licet in nummo Salaminiorum appellationem præferente ſic oſtentetur, quum Ceteii ſocii ac ſtipatores attribuantur eidem in divina poeſi, nihil vetat inter accolas fluvii Cetii & Salaminios in Cypro eam interceſſiſſe amicitiam, ut ſacrorum quoque communionem & ejuſdem tum herois, tum Deæ cultum inſtituerint, Salaminiis Heroa Eurypylum, Pergamenis, qui præcipui ex Cetii accolis fuerunt, Paphiam iſtam celebrantibus. Abſurda enim prorſus videtur pervicacia docti illuſtratoris nummorum, ut velit, quum Caninus omnino citet ex nummo ΣΑΛΑΜΙΝΙΩΝ ΠΑΦΙΑ, eamque inſcriptionem viderint quoque & teſtentur alii, eam ſuſpectam habere, quam ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ agrum tenuiſſe Eurypylum, nuſquam ΣΑΛΑΜΙΝΙΩΝ prætexit: & Pollionem in aliis Pergamenorum nummis appellari prætorem, unde eundem in Salaminiorum nummis appellari vix ſimile veri eſſe. Quaſi ab proconſulatu Aſiæ non potuiſſet transferri ad Cyprum. Immo quod ad noſtram rem pertinet, quaſi illa communio ſacrorum non ſæpius fuiſſet uſurpata, cujus multa dari poſſent exempla. Neque tamen ego unquam legi Pergamenos Jonas, quos huc citant.


EVBOEA
infulæ cognominis tutela.

EUBOEA.



Hanc esse, unde insulam suam appellatam statuerint Eubœenses, docent nummi eorum, singularis quidem illi fabricæ, ut quadratam aream intra clypeum signaverint. Hanc eo antiquitatis educit Strabo & reliqui, ut sustineant eam Junonis ipsius nutricem dicere. Quod qualecunque sit, certe id non potuisse existimari jure vel ab incolis vel ab extraneis inde patet, quod ne quidem vetustum hoc illius insulæ nomen credatur, sed ΜΑΚΡΙΣ, unde Macrones ad Pontum crediti Eubœensium coloni. Ita Stephanus, ita Scholiastes Apollonii, & plures alii. Vix tamen uspiam in libris nostris eam isto vocabulo significatam reperias. Higinus quidem jam Argonautam Oileum educi scribit ab aliis ex Eubœa. Itaque quum accurate certum cognosci vix queat, in hunc locum eam conjeci præterpropter accessurum me sperans ad id, quod verum est, sed in longinquo vetustatis intervallo absconditur. Certe cincinnus ille in occipiti est antiqui operis. Et viri docti satagunt, ut eam heroida faciant. Sic namque apud Stephanum in hac voce legit Brodœus lib. III. ad Epigramm. pag. 376. ΑΠΟ ΕΥΒΟΙΑΣ ΗΡΩΙΝΗΣ, quum pro voce postrema vulgo legatur ΗΡΟΔΟΤΟΣ. Istud Brodæanum tamen est, quod ego miror bonos viros publico nuper impegisse quasi profectum ab Holstenio. Ille enim in istis postumis sic ratiocinatur appellari debuisse, quia fuit Junonis nutrix: quod ipsum ex Strabonis libro X. respexisse se quoque significavit Brodæus. Itaque si Holstenius ista sic scripsit, mirabiliter debuerunt meditationes ejus ex proximo sequutæ fuisse orbitam Brodæanarum: utique nunc tempus non est, ut talibus edendis professoria opera impendatur. Heroida igitur censent, quæ Junonem nutrivit. Quid ergo? an quæ ipsum nutrivit Jovem, Amalthæa etiam legitur ΗΡΩΙΝΗ? aut quæ excepit Bacchum Ino? Nympham audiveram ad hoc electam.


SARD
SARDVS
Herculis filius


SARDUS.



His magni Herculis filiis adjungi oportet tertium, magis etiam meridianum, quam fuit iste Aventinus; tanto justius, quia crediderim optaturum fuisse Cluverium, ut hunc quoque Sardum aspiceret. Sic enim non Græcorum fabulas de Sardo Herculis filio vituperavisset, nec eas sequi piguisset: quod in illo tam facile est toleratu, ac in Bocharto Pausaniæ fidam licet narrationem perinde rejiciente, & huc arcessente Punicum *Saad* vel *Sarad*, unde ΣΑΡΔΩ scilicet, non ΣΑΡΑΔΩ vocarint Græci. Liceat illis otiari vel ludere. Hic Atius Romanus prætor ex ipsa sua provincia duxit eum, quem ipsi Sardi progenitorem suum habuerint, Sardum aut Sardonem (quippe hanc quoque terminationem habet Eustathius ad Dionysium) patrem vel ΣΑΡΔΟΠΑΤΟΡΑ appellantes. Hujus effigies sat multis locis expressa & consecrata stetit. Neque enim de hoc Sardo ultra dubitare licet, quum hac facie illum ediderit *Patinus* literis SARD bene expressis, quem in illis ipsis minutum & in altero vocabulo integrum edidit Tristanus volum. II. pag. 484. ut apparet ex apposito



isto Sardo. Agnoscis opportunam & utilem jacturam dicam? an custodiam. Hoc solum interest, quod cura circa mentum sit nonnihil diversa. Si nihil aliud, duntaxat in eo singularem vel antiquitatis vel moris gentici ritum, quo verticem adornatum habet, omnino admireris.




ALABANDVS
conditor et genius urbis Alabandensium.

ALABANDUS.



NEC ab his urbium ac regionum conditoribus ſegregare ſuſtineo illum pro Deo prorſus habitum in Caria, ut teſtatur Cicero; ſed nos divinitate relicta hic eum ponimus, quod patrem potuerit ſic demereri, ut is nomen filii mactare æternitate conſtituerit excitata urbe, quam ab ipſo vocavit Alabanda, adeo inclitam ſequuto tempore, ut hinc dici fuerit ſolita *Alabanda Carum fortunatiſſima* [a]. Nam & ipſum nominaverat Alabandum ab victoria equeſtri, quæ contigerat, ut refert Stephanus, a quo etiam diſcimus eſſe eum ipſius Caris, qui proauctor generis Carici, & Callirhoæ filium, Mæandri nepotem creditum, cui cervum appoſitum credit Cl. Seguinus, cui illum debemus, ad figuram ſolis illic ut per omnem orientem culti. Cæterum quum Stephanus præcipuo auxilio nos juvet in notitia vocis ΑΛΑΒΑΝΔΑ, vicem is a nobis & exſpectat & meretur, quum adeo indigne cavillentur eum viri docti. Scribit enim *Alabandi, quæ vox in ſermone Carum par eſt Græcæ* ΙΠΠΟΝΙΚΟΣ; *ala enim equum, banda vero victoriam vocant: unde & apud Romanos bandum victoriam dicunt* [b]. Nihil abſurdius, quam Romanos bandum vocare victoriam. Itaque nuperi interpretes Stephani aut ipſum erroris arceſſunt, aut ab imperito additas has voces pronuntiant. Neutrum credo. Unde enim probabile, quum vere doctiſſimum virum appareat fuiſſe illum Stephanum, ut ille ſic pronunciaret de victoria Romanorum? aut quæ voluptas poteſt ſupponi vel indoctiſſimo fuiſſe librario, ut talia voluerit temere adjicere? Sed ſcripſit Stephanus ΒΑΝΔΟΝ ΤΗΝ ΙΛΗΝ ΦΑΣΙΝ. Innuit fuiſſe utrobique vocem militarem, apud Caras notandæ victoriæ, apud Romanos alæ. Controverſia de cervo aut equo (hunc Triſtanus, priorem in nummo edit Seguinus) nunc quidem mea non eſt. Sed ſi ad ſolem utique referri oportet, ut cenſet Seguinus, utrique ſane locus venit commodus.

a. Ἀλάβανδα Καρῶν εὐτυχεστάτη.
b. Ἀλαβάνδος. ὅ ἐστι κατὰ τὴν Καρῶν φωνὴν Ἱππόνικος· ἄλα μὲν τὴν ἵππον, βάνδα δὲ τὴν νίκην καλοῦσιν. ἔνθεν καὶ παρὰ Ῥωμαίοις βάνδον τὴν νίκην φασίν.


fratris Thyeſtae filium mactat.


ATREUS.



SIC illa temporum & narrationum incerta quocunque modo in liquidam & congruam ſeriem redacta, offenſione omni evitata, nos tandem deducent ad clariora. Venimus enim ad epocham ſuper omnia inclitam Trojani belli. Itaque hujus ſumma quum penes Agamemnonem fuerit, utinam hunc regum regem, ducemque Græciæ venerari liceret! Sed is quidem ignoratur æri ac ſaxo veteri, niſi placebit ad pupas tabulæ Iliadis accedere. Me ſane culpari non poſſe ſpero, ſi quod perditum eſt, pro perdito habens, hactenus tamen explevero numerum, ut ejus patrem, vel, ut alii, avum ſubjecero, unde paſſim ille audit Atrides. Hunc enim opinor eſſe, qui in *Palatio Farneſio* nunc ſcribitur *Commodus gladiatoris imagine*. Quam ego prorſus in eo videre nequeo, niſi etiam gladiatores adverſus pueros probati ſint. Eſt imago ſævientis & atrociſſime contrectantis puerum, in quem crudeliſſime vult conſulere. Hinc arreptum pede dextro jam jam gladio eſt diſſecturus, certe ſic minabundus & crudus ſtat Atreus atque ira tumet, perpetua tragicæ ſcenæ machina, in qua fere & ipſe componerer; ſed quæ ab hac puerorum cæde in Atreo ſolet inchoari, quum perfidiam præmiſiſſet eorum pater Thyeſtes. Equidem nuncius apud Senecam in Thyeſte aliter mortes trium ejus filiorum perpetratas narrat; ſed non poteſt hæc licentia fingentibus negari, quo minus indulgeant ſuo ingenio.

Nnnn




PARIS
etiamnum paftor.


PARIS.



In his igitur ad Trojam gerendis ut ordine verſemur, primus omnino adeſt Paris, mirifica vitæ inconſtantia. Natus enim ex regibus, in agro paſtor educatus, repente non tantum ſpectaculo Dearum trium pulchritudinis & præſentia Mercurii; unius quoque ex venuſtiſſimis Diis, fruitus, atque ita cælum in terras trahens, arbiter quoque electus illarum formæ, tantique habitus ut Helena donaretur, terras & maria obiviſſe, ſuoque & Helenæ conſpectu memorabiles feciſſe regiones dicitur, ut bellis ac tumultibus incenderet. Et in his ipſis cæde melioris & longe fortioris peperit aliquod decus. Hinc fieri non potuit, quin & poetis ſæpiſſime narraretur, & monumentis plurimis incideretur. Cernis illum ex *nummo Antonini Pii*, prout adſueverat Oenonæ, paſtorem pedo & pileo gentis ſuæ deſignatum. Sed ut principia & fundamenta Trojani belli jam ſterni cognoſcas, vides ſedentem & poſt accepta ab Mercurio mandata cæleſtia, jam ſententiæ pronuntiandæ accinctum vel penitus intentum. Celeberrimum hoc judicium & inde frequens argumentum pictoriæ aut ſculptoriæ artis, etiam ad monetas ſatis gratum, unde id toties in nummis, qui melius conſpectu & ſilentio inſtruent, quam ullus verbis, quorum jam ſatis eſt, & tanto minus ab nobis proferri vel exigi debet, quanto loquacius egerunt omnia ſæcula, rem efferet. Itaque ipſam in hoc ære, quod primus protulit Sponius in Gallicis pag.221. adſpice. Utique ex hoc quidem nummo oculi ipſi ſpeciem iſtam ſignificabunt. Et quæſo an non inſpexit eum Maximus Tyrius, quum ſcriberet diſſert.XXIV. *Si loco eodem fuiſſes Trojano paſtori, miſſuſque ab Jove veniſſet ad te Mercurius, ad judicem te adducens tres Deas, ut pro formæ excellentia præmium deferres, Venerem admiratus, Junonem Minervamque tanquam deformes damnaturus fuiſſe videris* [a].

a. Δοκεῖς γάρ μοι, γενόμενος ἐν χώρᾳ τοῦ Τρωϊκοῦ ποιμένος, ἀφικομένου παρά σε Ἑρμοῦ, πομπῇ Διὸς, ἄγοντος θεὰς τρεῖς πρὸς δικαστὴν σε, προστάττοντος βραβεῦσαι περὶ κάλλους αὐταῖς, ἰσθεὶς τῇ Ἀφροδίτῃ, καθάπερ ἐκεῖνος, καταδικάσαι ἂν αἶσχος τῆς Ἥρας καὶ τῆς Ἀθηνᾶς.




HECTOR
Trojanorum fortissimus.

HECTOR.



HUJUS frater Hector, vir maximi animi & semper incorruptus, supra omnes Trojanos virtute militari eminuit, de quo & nullus dubitat. Sic unicuique est diu auditus, quoniam cecinit eum Homerus talem tum in consiliis, tum in aggrediendo hostes; quibus quantas strages & ignominias intulit? Et vicissim ejus mors, quanta fuit Trojanis jactura & omnium suorum ruina, & Achillis infinita exsultatio? Nihil earum vel attingere sustineo, quum nimis omnia personuerint. Utinam Hectora liceret ipsum prodere! Ei quidem hanc faciem tribuit nummus in thesauro Genefevæ Parisinæ tab. XXII. Aliam herois ejus memoriam excitarunt Ilienses, sed sero, & opinor tum demum, quum Tiberius eum satis doluerat. Attamen aspicias li-



cebit. Non tamen uspiam reperio illas Hectoreas comas [a], quas vocavit Lycophron in Alexandra, exponente Isaacio, posteriora demissa habentes, anteriora autem attonsa [b], qui etiam ossa Hectoris postea Thebas ab Thebanis pervecta testatur.

a. Εκτορέιυς κόμας.
b. Τὰς τὰ ὄπισθεν καθειμένα ἐχύσας, τὰ δὲ ἔμπροσθεν κεκαρμένα.


ANDROMACHE
Hectoris mox Heleni uxor.

ANDROMACHE.



IAT iterum Hectoris Andromache, & quum in vita fuerint conjunctissima pectora, imo etiam post mortem mariti, tamen Hectoris Andromache manserit, quamdiu libertas adsuit, ne mihi horrores objiciantur quod junxerim, non tantum nomina gratissima, sed etiam vultus. Ita enim mihi videor fecisse, dum circumspiciens isto titulo proposui hanc muliebrem faciem *ex nummo Chaoniæ in Goltzii Græcia*. Ibi quidem Nonnius hanc silentio prudenti transmittit, perinde alter auctor alioquin tam acutus in Illustratis nummis, quum clavam Herculis Herculemque ipsum uterque bene agnoscat, imo alter quoque ebrium. Sed si cogites apparere illic duo propria Chaoniæ, certe notabis hanc Andromachen ab Chaonitis celebratam ex eo tempore & facto, quod cum aliis scriptoribus produnt verba Justini XVII. 7. de Pyrrho. *atque ita Heleno filio Priami regis ob industriam singularem, regnum Chaonum & Andromachen Hectoris, quam & ipse matrimonio suo in divisione Troianæ prædæ acceperat, uxorem tradidit*. Esse vero Andromachen Trojanam colligi videtur ex velamento capitis, quod ejus urbis statuo proprium fuisse in fæminis, ut ita versus cervicem dependeret, quod in viris erat erectum & incurvatum ad frontem. Certe observes aut hoc ipsum aut simile in capitibus Hecubæ & ipsius Andromachæ sedentis ad Hectoris tumulum in tabula Iliadis. Itaque ad plura loca deportatus fuit hic honor Andromaches, quum ita cultam liceat videre in nummis Crotoniatarum, ut produxit idem Goltzius in magna Græcia tab. XXVIII. In altero latere quid aliud intelligi debet de Hercule, quam illic eum libare Acheronti, Chaonum celeberrimo fluvio, propter felicem ex inferis reditum in lucem? Id facit sedens ad notam laboris exantlati.




LAOCOON
ab Serpentibus cruciatus.

LAOCOON.



ECTORE occiſo, qui inſtar omnium erat, non diu Græcorum victoriam morati ſunt reliqui Trojani; ſed omnibus in exitium magnæ urbis dominationiſque diuturnæ per Aſiam conſpirantibus, ne omina quidem defuerunt inſtantem cladem prædicentia. In his hic Priamida, ſacerdos, & tum ſacra facturus Neptuno cum duobus filiis ſic involutus orbibus anguium dicitur periiſſe, ſingulas fabulæ partes latius exſequente Virgilio, Higino, aliiſque. Sed quid multa? Nullum commodius huic Laocoonti corrugato doloribus dedero ſolatium, quam verba Plinii, qui illum ante tot centenos annos ſpectavit, ex libro 36.... *in Laocoonte, qui eſt in Titi Imperatoris domo, opus omnibus & picturæ & ſtatuariæ artis præponendum. Ex uno lapide eum & liberos draconumque mirabiles nexus de conſilii ſententia fecere ſummi artifices Ageſander & Polydorus & Athenodorus Rhodii.* Sic quum ſcribat Plinius, noſtri tamen homines magis definite ſignateque norunt loqui, unde, ne per tot amplæ domus membra nimium erret, ſi quis ſpectare cupiverit, opinor, in atrio domus Titi fuiſſe ſcribunt apud Roſinum.



IPHIGENIA
Filia Agamemnonis.

IPHIGENIA.



NDE Græci inceperunt faciles esse ac proni ad fundendum humanum sanguinem, hæc est, quam regiæ gentis puellam in ipsa Aulide, antequam soluta esset ora, ad auspicia profectionis sane tragico furore immolari ventis decretam etiam velut jure mactavissent, expiaturam temeraria patris verba, quibus iram Dianæ conciverat. Ita Dearum quoque mentes noverat ille Calchas ΕΥ ΕΙΔΩΣ. Ita fallaces prædictiones adjuvabat astutia Ulyssis. Ita etiam Agamemnon a sacrificulo involvi potuit interpretationibus absconditarum rerum. Unde fieri non potuit, quin magnam scenam hæc ipsa appararet ingeniis. Illa non morata injectam puellæ divinitus ad altare caliginem, quæ tanta fuit, ut quod pro ea mactatum fuit, crediderint fuisse ursam, taurum, anum, sed plurimis tradentibus cervam; illa inquam ingenia eadem perspicacia tamen viderunt avehi, aut ipsa avexerunt potius in Tauros Scythas, illic ædituam Dianæ & futuram & factam, unde nonnisi per furias Orestæ fratris in patriam restitui potuit? Et quis Aricinum nemus nosset, nisi Iphigenia illuc deportasset istam Fascelidem deam? Hæc ambagum portenta, & ad ignotos antea regionum fines curricula auferre istam puellam debuerunt, ut plebem Atticam delectaret scena. Nihilominus quum ista tradantur Iphigeniæ fata, equidem eadem fere apud me & istorum fides, & horum lineamentorum; adeo non penitus videtur Græca.



ACHILLES
Graecorum fortissimus.

ACHILLES.



T ex gremio matris Clytæmneſtræ auferretur Iphigenia ac duceretur Aulidem , hoc nomine & titulo uſus fuit Ulyſses , matremque ac filiam decepit obtentu matrimonii Achillis . Itaque ſummo jure hunc illi proximum ponimus , quod iſte ut Græcorum murus, ſic Trojanorum formido , Deorum amor, poterat ſibi vindicare vel ſolo virtutis ac fortitudinis merito , cujus palmas conſenſu ducum omnium in expeditione iſta tulit . Atque utinam hæc ejus effigies adamuſſim præferret exactas ad verum liquidumque illas notas , quas etiam in Achillidis longo tempore Ænianas cognoſcere potuiſſe ſcribit aut fingit Heliodorus lib. 11. Sane genuinum eum fatetur Homerus, unus optimus & veridicus Achillis ſpectator, cujus poeſi quæ ſingula ſunt impreſſa , ea vultus hic ex nummo ſcitiſſime translatus exhibet . Hic ille vultus , cujus gratia virginibus placuit ; hic qui nituit oculis igneis & aliquid terrificum micantibus ac leoninam immitemque indolem exprimentibus. Sed has & plures notas quum velut perſpicaciſſimus phyſiognomon ex Homerico opere animadverterit ac collegerit, quo inde poſteritas Achillem vere diſceret , Clariſſimus & Erruditiſſimus Car. Drelincurtius ; judicavi ſolam ejus domum eſse Achillis capacem & quæ mereretur Achillea omnia ſervare , atque ideo nummum , unde faciem hanc expreſſi, rogavi & pro ſolita ejus in me benevolentia impetravi, ut inter ſua vellet habere commendatum. Hic nummus erat aut ille ipſe aut ſimilis ei, quem habuit Stephanonius & edidit in gemmis num. 11. Sed & enarrat homo utique in tam ſero proceſsu poſt tantam temporis intercapedinem inteſtabilis & ad Stephanonii nitorem plane non comparandus , qui tamen Stephanoniana non tam vera jactare cuperet quam ſua, prout ejus mos eſt. Caninus quoque admodum ſibi placet in nummo Achillem referente , in cujus altero latere erat equus cum literis NIKOMAKOY . Hic Græci herois vultus ſic afficiebat Caninum , ut ſtridentes in ore clauſo audiret dentes poſt mortuum Patroclum , in oculis flammam videret , in caſſide ad fulgorem lucidæ ſtellæ ſplendente crines aureos circumfluentes , capillos denique ob mortem Patrocli attonſos. Permittamus ſatiari hanc ejus lætitiam ; id tamen Achilleum non fuit , ut naſus in ima extremitate tantopere expanderetur , nec recta declinaret , ſed hujuſmodi pondus inamœne dilatatum quateret.



ΔΙΟΜΗΔΕΟϹ
DIOMEDES HEROS
Martis ac Veneris terror.

DIOMEDES.



DHÆREAT Achilli nomen Diomedis, quia faciem annectere non licet; multo minus titulos ejus affigere ignotæ imagini. Quanquam enim inter illustres imagines ab Ursino collectas ediderint hanc, quam vides, Gallæus & Faber, quorum hic etiam verbis suis eam venditat; tamen compertum fuit viris doctis in nummo isto non legi hoc illustre nomen, sed NIKOM. unde Caninus num. XXXIII. colligit Nicomedem primum, & Magnum cognominatum; alii exceperunt NIKOMΗΔΕΩΝ, etiam ipsi tamen dynastam aliquem Bithyniæ in eo cernentes. Sub hac cautela licet implere numerum.

Vuru


ΛΟΚΡΩΝ
AIAX OILEI
Dux Locrensium ad Troiam

AJAX LOCRENSIS.



Favente fato auguror me acturum in augendis vel cognoſcendis heroum ad Trojam vultibus ac memoriis, dum venerans ſagacem in hoc nummo ſolertiam Harduini, ignotum & latentem militem aut gladiatorem creditum ſuo nomine appellare ſuſtinui. Is enim *in nummis Græciæ Goltzianis* ita militari in ſtatu poſitus conſpicitur, nec quidquam illic eruditus interpres, niſi nudum ait eſſe gladiatorem cum ſcuto & gladiolo, celebres enim fuiſſe gladiatores Locros. Et hunc ſequi quod miror, maluit interpres Theſauri Palatini. Sed ſane id genus hominum tanti nunquam fuit, ut inde regio aliqua laudari vellet ac ſe oſtentaret: nedum ut legamus ab Locride talium hominum multitudinem proveniſſe & ſic celebritatem captatam. Omnino igitur hi Locri (quos Opuntios eſſe indicat monogramma continens duas priores ejus urbis literas, ut temere in editione Goltziana ab illis diſtinguantur) monetam ſuam inſignem faciunt heroico Trojani temporis monumento, quod ex urbe ipſorum venit, Aiacis nempe Oilei, furiam ſuam ipſo gradu manifeſtantis, quam non modo concepit poſt Caſſandræ violationem, ſed inſitam & innatam habuit, ſemper apud Homerum ΤΑΧΥΣ, & *celer ſequi*, quomodo interpretatur Latinus poeta, ut inter ferociſſimos duces ad Trojam fuerit. Neque deterruit ab veneratione hujus Ajacis Locros Opuntios opinio duplex per Græcos ſparſa, & multis credita. Quarum prima eſt, quaſi fulmine & ponto perierit hic eorum civis Diis iratis & vivens & moriens. Altera eſt publica populorum ſanna, qua ſolum hunc ex ducibus ad Trojam apud inferos in ſede impiorum puniri dicebant, alludente Luciano in libro II. veræ hiſtoriæ [a]. Nimirum virtus quæ ſemper in eo viguit, & tum ad Trojam, tum fortaſſe aliis in locis demonſtrata



maxima & incredibilis, ſatis utramque refutatura & qualis in nummo exhibetur, vitam redditura credebatur. Huic alterum Ajacem, Telamonium ſcilicet, appono, qui gladio ſuo incumbens excu-

a. Πάντας τοὺς ἡμιθέους καὶ τοὺς ἐπὶ Ἴλιον στρατεύσαντας, πλήν γε δὴ τοῦ Λοκροῦ Αἴαντος. ἐκεῖνον δὲ μόνον ἔφασκον ἐν τῷ τῶν ἀσεβῶν χώρῳ κολάζεσθαι.

excusus esse creditur ab Prusæensibus & vulgatus ab Patino pag. 304. quem sequitur Harduinus. Quod quum tamdiu mundo & luci innotuerit, an non diras meretur ista mimica & livida Lamia ad tabulam Iliadis pag.362. tam sero ex indice quodam Camelli a se, (ita scribit) exceptum promens? & nescio quos futiles Urbinatis ineptiæ annulos ponens. Adeo Patinus illi ignotus est. Et tamen nec hic nec quisquam aliquid affert de origine vinculi, quod Prusæensibus cum Ajace isto fuerit.


CHIRON THESSALUS
Achillis aliorumq; heroum doctor.

CHIRON.



UUM incœperunt reperiri artes, quum navigatio primum conjunxit populos antea ignotos, & alios ab patria & neceſſariis abduxit, non ita incondite res geſtæ ſunt, nec tam deſtituti fuerunt homines, quin perinde ut munimenta externa corpori invenerant, ſic quoque ad cuſtodienda interiora aliquid excogitarent; vel in primæ diſperſionis tempore ab majoribus tradita ſecum retinuerint & circumtulerint. His licet forſan levibus principiis imbuti, id tamen egerunt, ut quotidiano uſu cultuque paulatim mollita magis eſſent & exornata. Quæ res quemadmodum apud Græcos proceſſerit, ex eorum annalibus patet; ſicut Herculis potiſſimum tempore omnis notitia acriter dilatari cœpit, ita tunc quoque vixiſſe homines, hinc claros & illuſtres, quod conſiderarint herbas non fruſtra natas, nec tot ſuccos provenire ex terris, tantum ut perirent & exſiccarentur. Talis jam ante circa Atticam fuerat Minerva, non tantum Medica appellata, ſed etiam fratri Herculi thermas apparaviſſe celebrata. Talis & alibi & in Aſia minore Æſculapius innotuit. Talis per Theſſaliam Thraciamque, ut videtur, vel primarius fuit hic Philyrides Chiron, in fabulis centaurus judicatus, utpote Saturno equo natus; ſed a qua ſemifera forma ſatis illum vindicant ſcripta meliora, & notabiliter omnino Lucianus introducens Cynicum optantem [a] pedes nihil differentes ab equinis ungulis, quales ajunt Chironis, non ſecus ac ſi illa parte ſola equinum fuiſſe innueret; vindicat etiam hæc effigies. Ille enim tantus fuiſſe hinc colligitur, ut duæ illæ regiones Thracia & Theſſalia de ejus ortu diſceptaverint, ad quam rem videri poſſunt collecta ad Higini fabulam 138. Sed & in Eubœam portaviſſe narrabatur non notitiam modo ejus, verum & nomen filius Caryſtus, cui urbs eodem nomine antea Chironia appellata animadvertitur ab Stephano. Quin etiam videtur inter has duas regiones ſolitus fuiſſe ΠΕΙΟΔΕΥΕΙΝ, & ita ſemper equo inhæſiſſe, dum vel herbarum vel morborum cauſa continenter circumcircat. Ipſe videtur vel maxime auctor fuiſſe hominibus, ut appeterent hanc ſcientiam, unde index confieri ſolet eorum, quos edocuerit, inter quos & Herculem & Theſea & Achillem nominant. Sed & in hiſtoria Æſculapii percelebre eſt nomen Chironis. Unde admodum dubito, an illa in Magnetum nummis excuſa fæmina, ut volunt, non ſit virilis effigies hujus Chironis manu tenentis primitias [b], quas huic Chironi ſolitos adolere teſtatur Plutarch. lib. 1. Sympoſ. Itaque qui tam perite ac feliciter regebat valetudinem aliorum, ſuam vel diligen-

Yyyy tiſſime

a. Τὺς πόδας ὁπλῶν ἱππείων ὐδὲν διαφέρειν, ὥσπερ φασὶ Χείρωνος.
b. Απαρχὰς τῶν φυτῶν.

tissime custodivit, & quidem prospero cum eventu, quum ex discipulis appareat, quam fuerit longævus. Nam ad quæ priora sæcula non extenditur ejus vita? Et quid mirum? quum non abierit ex hac vita, nisi ad fastidium satiatus & immortalitatem contemnens. Hos autem si consideres, sane jam diu ante debuerat in hoc ordine nominari. Sed quum illis omnibus supervixisse videatur, & ne nunc quidem forsan sit mortuus, huc eum reservavi, ut jungeretur alteri huic, qui sequitur; cujus utriusque conspectum debemus Imperatorio Dioscoridis codici, unde primus edidit Lambecius.




MACHAON AESCVLAPII F.

Graecorum ad Troiam Medicus.

MACHAON.



Ex iis, quæ præmissa sunt, facile intelligitur, profecturis quoque ad Trojam Græcorum heroibus curam fuisse casuum, qui ipsis possent terra marique contingere, & quos satis graves crebrosque futuros denuntiabat eis expeditio, & tam longinqua & contra tam validum imperium, ut non itineris tantum pericula, sed etiam arma & gladios hostiles vereri oporteret. Equidem ipsos singulos non penitus caruisse vel conservandi vel reficiendi corporis notitia juste supponas; etiam quæque classis ex sua urbe secum duxerit aliquem Chironiis præceptis imbutum, etiam ab Achille Patroclus aliquid didicerit. At sic tamen comitem suæ gloriosæ militiæ adsciverunt hunc Machaona, velut principem quendam ex isto ordine, & forsan ideo ab poeta laudatum ΠΟΛΛΩΝ ΑΝΤΑΞΙΟΝ ΑΛΛΩΝ· Hinc igitur & suo nomine clarissimus. Sed nec parum famæ attulit tum frater Podalirius, tum pater Æsculapius. Unde jam non mireris etiam Corn. Celsum testimonio Homeri fidentem tam certe, ac si interfuisset curationibus, fateri non mediocrem opem commilitonibus ab eo allatam præsertim vulneribus per ferrum & medicamenta medendo; multo minus hæsitavisse jam olim viros doctos, dum insertus Virgiliano operi explicari debet *primusque Machaon*; & sic eum credi descriptum, quia is ad perfectum illis temporibus circa peritiam medicæ artis præcipuus fuisse traditur.


AENEAS ANCHISEN ac PALLADIUM
gerens comite IULO.

ÆNEAS CUM ANCHISA ET JULO.



QUÆ maxima apud posteros fides fuit Trojani belli, eamque famam plus, quam alii, circumtulit per populos, aut principes, aut qui maxime sua interesse voluerunt, Æneas est. Hunc igitur adspice (nec enim describendus verbis est ille nimium dictus) urbe egredientem, ut ad naves properaret; ac secum efferentem sacra per Palladii icunculam designata & sacra altera patrem instar sacerdotis velatum. Sed & comitatur eum ad latus, etsi passuum impari spatio, Ascanius sive Julus. Qui licet tenuis & exiguus sit, debet tamen primas in hac tabella partes habere, quum per eum quæsita sit adulatio, ut Juliæ gentis antiquior, si non augustior, adsignaretur origo; sicut ille suam demonstrat non modo per patrem avumque, sed etiam pileo, quod ipso cornu retinet. Quin etiam quo attentius inhæreas Ascanio, scias oportet non in omnibus nummis cum Ænea illum conspici: immo etiam Romæ dubitatum fuisse, exieritne ex urbe Troja ille inter Romanos jactatus tantopere Julus; quæ magna sermocinandi opportunitas. Nunc tamen id ita placuit Iliensibus & multis in urbe Roma, ut sic quoque oscularentur qua erant oppressi manum.

F I N I S.

ADDENDA.

in paginam A ℣ſ. 31. ea excipiuntur & ſcribuntur (ut ait Servius ad 1. Æn.26.) ab libraria cæleſtium & antiquiſſima literarum quarundam apud Higinum inventrice hinc credita, huc adv.

B. ℣ſ. 21. dividendi . Quod plane non officit , quo minus juſte Lycophron eaſdem finxerit claudas, ΓΥΙΑΣ , exponente Cantero ex Euſtathio propter inæqualitatem & diſſimilitudinem fatorum. Hæ

C. ij ℣ſ. 1. tenens , quum prima omnium recte ſupponatur ab editore Clio; quinta autem ſit Terpſichore lyram femori impoſitam tentans. Interim non ſupprimo notabilem catalogum Græco-Latinum & forſan Hadriani tempore conceptum de illis ipſis Muſis, ſingularia prorſus nonnulla proferentem, prout in MS. inveni, correctionem lectori committens;

Κλίω κιθάραν	Clio citharam
μετὰ Πιέρυ	cum Pierio
Ἐγεννήθη Ὑμεναῖος	natus Ymenæus
Ευτερπη τραγωδίαν	Euterpe tragœdiam
μετὰ Στροιμονος	cum Strœmone
Ἐγεννήθη Παιὰν	natus Paean
Θαλία κωμωδίαν	Talia comœdiam
Μελπομένη ψαλμὸν	Melpomene pſalmum
μετ' Ἀχελώυ	cum Acheloo
ἐγεννήθησαν σειρῆνες	natæ ſunt Sirenes
Τερψιχόρη αὐλὺς	Terpſichoræ tibia
μετὰ Ποσειδῶνος	cum Neptuno
Ἐγεννήθη Ευμολπος	natus Eumolpus
Ερατὼ κιθάραν	Erato citharam
μετὰ Ακθέονος	cum Acteone
Ἐγεννήθη Θάμυρις	natus Thamyris
Πολύμνια λύραν	Polymnia lyram
μετὰ ἡρακλέως	cum Hercule
Ἐγεννήθη Τριπτόλεμος	natus Triptolemus
Οὐρανία ἀςρολογίαν	Urania ſyderum rationem
μετὰ Απόλλωνος	cum Apolline
ἐγεννήθη Λίνος	natus Linus
Καλλιόπη ποίησιν	Calliope poeſin
μετὰ Ὑάγρυ	cum Yagro
ἐγεννήθη Ορφεύς.	natus Orpheus

H. ℣ſ. 16. Cretenſes, *corrige*, Argivos

Q. ℣ſ. 36. *ſcribe* Jove [b] . Hunc videretur monſtraviſſe non procul

R. ℣ſ. 36. conjunxerint. Imo etiam ipſi pro levi & vano traducant illud Apollodori in libro ſecundo ſcribentis, clypeos primum inventos eſſe ab Acriſio & Prœto.

T. averſo latere ℣ſ. 13. *tiaras*: cujus memoriam videtur ſervare etiam nummus Opuntiorum in Theſauro Palatino, inter pedes Ajacis eum plane exhibens , velut ab Ajace dejectum capite nobilis Trojani, quem occidit aut fugavit.

X. averſo latere ℣ſ. 13. depictam, quarum alteram eo libentius adjeci, quia litem de platano, ut vocat Plinius XVI. 44. arborem, ex qua pependerit Marſyas circa Aulocrenen, & pinu , ut volunt

Bbbbb alii,

alii, fere decidit; certe ex arbitrio hujus sculptoris pinum marmor ostendit.

Oo. vs. 4. ille Naxus (non enim magis opinor hic Bacchum barbatum conspici, ut putant nonnulli, quam in Tmolitarum nummo) uterinus

Ggg. v. 11. *lege* Iphiclum

Gggg. vs. 13. nuspiam, ne quidem apud Stephanum in voce Δυμᾶ. Apud

Zzzz. vs. 19. medendo: cujus specimen unum significavit antiquitas editum in Philoctete, quem ab Machaone ipso refectum testantur omnes, alii petra ophietide, ut appellant, vel serpentina; alii scribentes sopitum ab Apolline secuisse, vino colluisse herbasque admovisse, ut videre est in scholiaste Lycophronis. Multo igitur minus mireris hæsitavisse

F I N I S.

E R R A T A.

Dum has paginas relego, ista adverterunt me ut non recte posita, quæ sic ut corrigas rogo.

C	*ad lit.*	*b.*	ἐνεάφθογγον.	*lege* ἐννεάφθογγον.
		d.	Μαλαξε πρωτοπαπῶ	Μαλαξῆ πρωτοπαπᾶ.
P		*a.*	Ἀμφικτύονος.	Ἀμφικτύωνος.
Q		*b.*	παρέρχεται.	παρέρχεται.
		b.	ὕσαντος.	ὕσαντος.
S		*b.*	τῆς Ατυν.	τὸν ἄτυν.
T		*a.*	μεγαλλώ.	μεγάλλω.
Ec		*c.*	οἷον.	οἶον.
Ll		*d.*	χλάμυς.	χλαμύς.
Mm		*a.*	Μίνω.	Μίνως.
Pp		*a.*	ἔτω.	οὕτω.
Rr		*a.*	τόπους.	τόπης.
Tt		*b.*	διφῆ.	διφυῆ.
		b.	κυῆσαι.	κυῆσαι
Oooo		*a.*	ἰσθεὶς.	ἠσθεὶς.

INDEX RERUM NOTABILIUM.

A

B

C

Libi-

INDEX RERUM NOTABILIUM.

F I N I S.

JOANNES ANTONIUS MOZZATUS VENETUS,

E T

FRANCISCUS BENALIUS TARVISINUS

omni ſtudio, ac diligentia emendarunt.





